nunquam Gentilium litterarum quilibet auctor aſcendit: etſi quid forte inde dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomnii recordamur. Et infra de ſtudio Fidelium ſui temporis ſic ait: *Quotus quiſque nunc Ariſtotelem legit? quanti Platonis, vel libros novere, vel nomen? Vix in angulis otioſi eos ſenes recolunt. Ruſticanos vero, & Piſcatores noſtros totus Orbis loquitur, univerſus mundus ſonat*. Audiant hæc, qui in Ariſtotelis evolvendis Philoſophicis, Metaphyſicisque quæſtionibus tota vita occupati, ſacrorum librorum nec titulum noverunt, eoſque, ſi qui habent, vix umquam lectione dignantur.

Inſuper ex antiquis Patribus nonnullis Phyſicen, aut Metaphyſicen, vel non habuere, vel certe leviter attigerunt. Alii vero magna ex parte fuere Platonici prius, quam converterentur ad fidem. Ex quo fit, ut dum in philoſophicas quæſtiones incidunt, aut vulgi, aut Rhetorum opiniones ſequantur, aut etiam quas a Platonicis acceperant in Chriſtianorum Scholas inducant; Unde viri docti errores forte quoſdam in Patrum ſcriptis notarunt, quod attinet ad humanam Philoſophiam, quos perſequi, nec vacat modo, nec expedit. Satis enim ex dictis apparet, in Philoſophicis dicta Patrum facienda tanti eſſe, quanti valet naturalis ratio, quam adducunt.

VI. Dico ſecundo. In rebus, quæ nec fidei dogmata ſunt, neque ex his certo derivantur, argumentum ſummum ex communi etiam conſenſu SS. PP. eſt quidem probabiliſſimum, non tamen per ſe loquendo certum de fide eſt. Prima pars conſtat: quo enim majori auctoritatis pondere firmari poteſt probabilitas alicujus opinionis, quam conſenſu tot virorum, ſanctitate, & doctrina illuſtrium? Certe, qui contrarium opinari vellet, temeritatis notam vix effugeret.

Secunda vero pars probatur: nam in hujuſcemodi quæſtionibus fidei ſummam nullatenus tangentibus, ac proinde hinc inde diſputabilibus, Patres loquuntur, non ut cuſtodes traditionis, neque ut teſtes doctrinæ Eccleſiæ (in quo caſu poſuit Spiritus Sanctus, ut Eccleſiæ Doctores) ſed ut privati Doctores proprium ſenſum exprimentes: atqui Patres etiam communi conſenſu ſic loquentes, eſto faciant argumentum probabiliſſimum, non ita tamen certum, ut vel de fide ſit tenendum, vel excludat omnem formidinem de oppoſito, homines enim ſunt, & poſſunt errare, ergo &c.

Noto tamen, nullum forte problema inveniri poſſe, in cujus altera parte omnes Sancti Patres conſentiant, quin illud ad fidem ſpectet. Si namque eſt doctrina omnium Sanctorum Patrum, etſi in ſcriptutis expreſſe non habeatur, eſt tamen ſignum evidens, vel ex ſcripturis neceſſario deduci, vel eſſe ſaltem doctrinam ab Apoſtolis per traditionem relictam.

VII. Dico tertio. Auctoritas unius Patris, vel paucorum, etiam in rebus, quæ ſacras litteras, vel doctrinam fidei concernant, non facit argumentum de fide, ſed probabile tantum. Immo nec etiamſi ex majori parte conveniant in aliqua ejuſmodi re Patres, ſi tamen pauci alii, vel tantum unus, ſummæ tamen auctoritatis, diſſentiant; niſi forte ſingularis hujus, vel horum opinio ſit ab Eccleſia reprobata.

Prima pars eſt manifeſta. Primo, quia multi Sanctorum Patrum aliqua dixerunt, quorum oppoſitum poſtea, ut de fide definitum fuit, vel quia eorum tempore veritas nondum ſufficienter erat comperta, aut Eccleſiæ auctoritate firmata, ut de S. Cypriano dicit S. Auguſtinus *lib. 1. de Baptiſmo cap. 18.* Vel etiam, quia putabant, emergentes illas quæſtiones ad doctrinam fidei minime pertinere: unde D. Cyprianum volunt multi exiſtimaſſe, doctrinam de rebaptizandis hæreticis, non fidem, ſed puram diſciplinam concernere.

Secundo probatur: non enim plus auctoritatis tribuendum eſt Patribus, quam ipſi tribui voluerunt; ſed noluerunt Patres ſibi diſtributive tantum, aut ſeorſim ſumptis irrefragabilem tribui auctoritatem, nec majorem ſibi fidem haberi voluerunt, quam hominibus, doctis quidem, ſed qui docendo errare potuerunt; ergo &c. minor probatur eorumdem patrum teſtimonio. Hieronymus *epiſt. 83.* alias 84. *ad Magnum*, recenſitis Patribus, qui ante ipſum ſcripſerunt, fatetur, ſe comparatione illorum *imperitiſſimum*. *Epiſt. 43. ad Creſiſontem* adverſus Pelagianos: *hi quid* (inquit) *in meo ingeniolo vitii repererint, proferant in medium. Aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ: aut reprehenſibilia, & confitebor errorem, malens emendari, quam perſeverare in pravitate ſententiæ*. Idem fatetur *in Iſaiæ c. 19. 22. in Ezechiel. c. 18.* probato proprio ſenſu. *Si quis autem* (inquit) *vel meliorem, vel alterum ſenſum potuerit reperire, qui contrarium inter ſe teſtimoniorum ſcandalum tollat, illius magis acquieſcendum ſententiæ eſt*, quod repetit in *cap. 26.* in *cap. 39.* ubi ſic concludit: *Hucuſque in Ezechiel Prophetam, Deo, ut optamus, & credimus, auxiliante, & aperiente os noſtrum, loquuti ſumus, non aliorum, ſi qui ſcripſerunt, vel deinceps ſcripturi ſunt, ſententiam deſtruentes; ſed afferentes qualiacumque ſunt noſtra*.

Pro omnibus vero modeſtiam ſuam expreſſit S. Auguſtinus in *lib. retractationum*, ubi emendavit, quæ mendoſe ſcripſerat *in lib. 4. de anima cap. 1.* ad Vincentium Victorem, qui eum de doctrina laudaverat. Item *lib. 2. de ordine*, ubi poſtquam *cap. 9.* oſtenderat, humanam auctoritatem plerumque falli, *cap. 10.* ſubdit, nolle ſibi credi, niſi docenti, & rationem reddenti; & *lib. 2. de Baptiſmo contra Donat. c. 3.* aperte dicit, omnia Epiſcoporum, & Doctorum ſcripta, ſola excepta Divina Scriptura, *licere reprehendi*, non per quemlibet tamen privatum doctorem)ut hæretici putant) *ſed per ſermonem forte ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per concilia*. De ſua vero doctrina in *Procemio lib. 2. de Trinit.* ſic dicit: *Sane cum in omnibus litteris meis non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maxime in his, ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quam multos contradictores habet*. Ne autem ex hoc hæretici putent, datam ſibi libertatem, ut a quocumque quælibet Patrum ſcripta carpi, & reprehendi poſſint, audiant quod ſequitur: *Veruntamen, ſicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius, quam Catholicam Fidem; iſte ſe non amet amplius, quam Catholicam Veritatem. Sicut illi dico, noli meis litteris, quaſi ſcripturis canonicis inſervire, ſed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmiter retinere: ita illi dico, noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere*. Num hoc Auguſtini monitum ſervaverit Lutherus, ſerventque ejus, & Calvini Gregales, judicet pius & catholicus Lector.

Tertio probatur eadem prima pars ratione quaſi a priori. Quilibet enim Sanctorum ſingulariter conſideratus (his dumtaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt) ſpiritu, & ſcientia humana locutus eſt, ergo errare aliquando, etiam in his, quæ ad fidem ſpectant, potuit; ergo ſi conſiderentur ſinguli Patres, veluti diſtributive, & ſeorſim, aut ſecundum quod aliqui eorum pauci in aliquo conveniunt, firmum ex eorum auctoritate ſumi non poteſt argumentum, ſed ſolum probabile. Et in hoc ſenſu locuti ſunt S. Auguſtinus, & Thomas ſupra relati §. 1. dum hic ultimus dicit *1. part. quæſt. 1. art. 8. ad 2.* ex auctoritate SS. PP. nimirum diſtributive, & ſeorſim ſumptorum, ſumi argumentum ſolum probabile. Cum tamen eorum multi inſignem doctrinam cum admirabili ſanctitate conjunxerint, eorum auctoritas ad tantum humanæ probabilitatis faſtigium evaſit, ut ſicut imprudentis hominis eſſet; paucorum tantum SS. Patrum auctoritatem pro regula aſſumere, ita illam deſpicere, impudentis omnino frontis eſſet. Quare viri pietate & doctrina celebres eorum dictis aperte contradicere, & adverſari non audent; ſed ſi quis ab eis minus conſone dictum viſum fuit, reverenter ac benigne interpretari conſueverunt.

VIII. Secunda vero pars, nimirum quod nec ſumi poſſit certum argumentum ex auctoritate majoris partis Patrum, ſi aliqui diſſentiant, intelligenda eſt de illis quæſtionibus, quæ fidem non tangunt, quæque ſalva fide in alterutrum defendi poſſunt. De quibus D. Auguſtinus *lib. 1. contra Julianum c. 6.* *Alia ſunt* (inquit) *in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalva fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius*. Si enim quæſtio fidem tangat, vix invenietur aliqua propoſitio, quæ ab omnibus Patribus fuerit aſſerta, cuique unus, vel alter repugnarit, quin horum doctrina ab Eccleſia fuerit reprobata.

Sic ergo explicata ſecunda pars probatur, quia dum Patres, magna licet conſenſione, aliquam doctrinam docent, & unus, aut alter (Eccleſia non contradicente) repugnat, ſignum eſt, eam ad fidem non pertinere, & conſequenter ex illis, licet pluribus, quia loquuntur ut homines, non poteſt firmum trahi argumentum. Unde Vincentius Lirinenſis *common. cap. 28.* *antiqua* (inquit) *Sanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certe præcipue in fidei regula magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt, & ſequenda*. Hinc licet omnes fere SS. Patres, tam Græci, quam Latini doceant, mundi hujus partes omnes non eodem ſimul die, ſed multis potius ſuccedentibus fuiſſe editas, ornatas, abſolutas; communis tamen hic eorum conſenſus certitudinem fidei non facit, uno D. Auguſtino in contrarium opinante, nimirum omnes, qui dicuntur ſeptem dies, fuiſſe unum diem, ſeptempliciter præſentatum cognitioni mentis Angelicæ, ac proinde omnia ſimul tempore fuiſſe edita, ornata, & abſoluta. Quam opinionem adeo probabilem D. Thomas *1. part. quæſt. 74. art. v.* admittit, ut problematice utramque ſententiam defendat. Item major Patrum pars aſſerit, Moyſen Dei naturam, dum in hoc mortali corpore viveret, aperte ſeu facie ad faciem non vidiſſe, & tamen hæc ſententia non pertinet ad fidem, cum oppoſitum teneat D. Auguſtinus *lib. 12. de Geneſ. ad litteram c. 27. & 28.* quod & de Paulo in raptu aſſerit (D. Thom. dicente *quæſt. 10. de veritate artic. 11. ad 2. ut in hoc Judæorum legifer, & doctor gentium æquarentur*, quamvis *lib. 2. cont. Maximinum c. 26.* & *tract. 53. in Joan.* oppoſitum dicere videatur Auguſtinus.

IX. Dico quarto. Unanimis SS. PP. conſenſus in explicatione Sacræ Scripturæ, & in re pertinente ad fidem, bonoſque mores, eſt ſignum a poſteriori, & infallibile teſtimonium divinæ revelationis, ideoque certum, & irrefragabile nobis ſuppeditat argumentum. Contra hanc aſſertionem obſtrepunt Proteſtantes, ut videre eſt in Dallæo Calviniſta *Lib. de uſu Patrum*: Eam tamen omnes Theologi Catholici invicte ſuſtinent: Canus *lib. 7. de locis c. 3. concluſione 5. & 6.* Dominic. a SS. Trinit. *Biblioth. Theolog. lib. 2. ſect. caq. 6. concl. 4.*) Natal. Alex. *hiſt. Eccleſ. ſac. 2. diſſert. 16. §. 22. & 23.* Dallæum refellens: & quotquot de hac materia Catholice ſcripſere, uno excepto Cajetano *Præfat. comment. in 5. lib. Moſ.* quem acriter perſtringit Canus; quamvis non deſint, qui Cajetanum benigne interpretentur, volentes, Cajetanum locutum fuiſſe, vel non de omnibus Doctoribus, vel in materia fidem non tangente, vel nondum ab Eccleſia definita; quod indicare videntur ejus verba, dum ait: *nullus deteſtetur novum Sacræ Scripturæ ſenſum, ex hoc, quod diſſonat a priſcis Doctoribus, ſed ſcrutetur perſpicacius textum, ac contextum Scripturæ; & ſi quadrare invenerit, laudet Deum, qui nos alligavit expoſitionem Scripturarum Sacrarum priſcorum doctorum ſenſibus: ſed Scripturæ ipſi integræ, ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura*. Verum, quomodocumque ſit, concluſio poſita communis eſt, & Catholica, debetque intelligi de generali Patrum conſenſu, accepto; non *mathematice*, adeo ut ne unus quidem deſit, ſed *moraliter*. Cum enim non omnium omnino, qui fuerunt Patrum ſcripta habeamus, immo nec nomina ſcimus, immo aliqui eorum ab Eccleſia defecerint, impoſſibile eſſet omnium omnino conſenſum explorare, aut aliquando invenire.

Hujus aſſertionis teſtes habemus primo Patres ipſos, qui in rebus fidei provocare conſueverunt ad veterum traditionem, & arguere eos, qui ab ea diſceſſerunt. Primus eſt Irenæus *lib. 3. cap. 3.* & alibi, probans, doctrinam Apoſtolorum per ſucceſſiones Epiſcoporum perveniſſe uſque ad nos: Et *cap. 2.* hæreticos arguens, objurgat eos, quod præſumant plus ſapere, quam Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, quaſi ipſi ſoli invenerint veritatem. Secundus eſt Clemens Alexandrin. *lib. 7. ſtromat. pag. 762.* ubi ait: *Gloriæ autem tenentur deſiderio, qui ea quæ ex ſua natura conveniunt ſermonibus divinitus inſpiratis, tradita a Beatis Apoſtolis, & Magiſtris, ſua ſponte fallaci ſapientiæ ſimulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis, reſiſtentes divinæ traditioni, ut hæreſim conſtituant*. Deinde oſtendit, hoc feciſſe hæreticos ambitione ductos, ut aliquid dicerent, non dictum ab aliis: *Nam inter eos viros, qui tanti erant in Eccleſiaſtica cognitione, quid reſtabat dicendum a Marcione, verbi gratia, aut Prodico, & ſimilibus, qui non ſunt ingreſſi recta via?* Hic delineavit Clemens vultum omnium hæreticorum; etiam recentium, quos omnes peperit humanæ gloriæ deſiderium, & ad veteres aſpernandos impulit. Quid enim reſtabat dicendum a Luthero, aut Calvino, & ſimilibus, ſi id, quod dixerant veteres, dixiſſent & ipſi?

Tertius Origenes *in præfat. lib. 1.* Periarchon: *cum* (inquit) *multi ſint; qui ſe putent ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa a prioribus ſentiant, ſervetur Eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque ad præſens in Eccleſiis permanens: illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione*; & homil. 29. in Matth. *Quoties autem* (inquit) *hæretici canonicas proferunt ſcripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus Verbum eſt veritatis. Sed nos illi credere non debemus, nec exire a prima, & Eccleſiaſtica traditione, nc aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis*. Hæc Origenes.

Idem Tertull. *lib. de corona milit. cap. 3. & 4. lib. de carne Chriſti cap. 2. lib. de præſcr. hæret. cap. 17. 21. 28. 37.* Idem S. Athanaſius *epiſt. ad Afros*, ubi vocem *homouſion*, qua Arianam hæreſim jugularunt, dicit, Nicænos Patres non inveniſſe ſibimetipſis, ſed a Patribus accepiſſe: *Epiſcopi non ſibimetipſis adinvenientes verba, ſed habentes ea a Patribus teſtimonia conſcripſerunt*: quod repetit *libro de Synodi Nicænæ decretis*. Idem S. Hieron. *in cap. 11.* Daniel. *Imperitiſſimos* vocans, *qui Scripturæ Sanctæ intelligentiam abſque Dei gratia, & doctrina majorum ſibi vel maxime vendicant*. S. Ambroſius *lib. 3. de fide ad Gratian.* cap. 7. *Servamus igitur*, ait, *præcepta majorum, ne hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus . . . Librum Sacerdotalem, quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum a confeſſoribus, & multorum jam martyrio conſecratum?*

Accedit S. Auguſtinus, qui toto *lib. 2. cont. Julianum* & præſertim *cap. 9. & 10.* argumenta Pelagianorum convellit, auctoritate Patrum Irenæi, Cypriani, Reticii, Hilarii, Olympii, Gregorii, Ambroſii, Innocentii, Joannis, Baſilii, Hieronymi, quod non feciſſet certe, ſi argumentum ab omnium auctoritate Patrum certum non exiſtimaſſet. Dico ergo ſic. Cum omnes Patres audio unum idem proferentes, non exiſtimo, totidem hominum, quidem & doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum (ſed tamen hominum) me audire ſententiam, ſed Catholicæ Eccleſiæ, cujus illi fuere columnæ præcipuæ. Nec enim aliud viri illi omnes tanto conſenſu ſenſiſſe credendi ſunt, quam quod communiter Eccleſia Catholica ſentiebat; ergo doctrinam omnium Patrum ſignum eſt, eſſe doctrinam Eccleſiæ Catholicæ; ſed ex doctrina Eccleſiæ Catholicæ, utpote infallibili, validiſſimum pro fide ſumitur argumentum; ergo ſimiliter ex doctrina omnium Patrum conſenſu probata.

X. Confirmo hoc. Certe majus privilegium concedendum non eſt multitudini fidelium, quam multitudini, & collectioni Doctorum, & Paſtorum: quia licet fideles laici quantitate numerica Paſtores, & Doctores ſuperent, ab his tamen quantitate virtutis & ſcientiæ longe illi ſuperantur, cum ab his illi docendi ſint, ac regendi; atqui fideles ſimplices toto orbe diffuſi collective ſumpti errare nequeunt in credendo, alias tota erraret Eccleſia: ergo neque errare poſſunt omnes Doctores, & Paſtores ſimul ſumpti, ſive culpabiliter, ſive etiam inculpabiliter, & per ignorantiam, docendo aliter, ac docendum eſſet: quia errantibus iſtis in docendo, errarent, & illi in credendo.

Urgeo hoc ex Apoſtolo *1. Corinth. 12.* & *ad Epheſ. 4. 11. & 14.* dicente: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti . . . ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*; atqui ſi Sancti, ac Doctores ſimul omnes toto Orbe diffuſi, in iis, quæ fidem tangunt, errare poſſent, docendo, ut credendum, quod credendum non eſt, aut non credendum, quod credendum eſt, non ſolum non eſſent dati a Deo *in ædificationem Corporis Chriſti* (Eccleſiæ) ut non circumferrentur fideles, *omni vento doctrinæ, ad circumventionem erroris*: ſed potius ipſi errando cauſa eſſent fluctuationis, immo & erroris in populo Dei, quia populus tenetur ſequi doctrinam ſuorum Paſtorum, & Doctorum, dicente Chriſto *Matth. 23. verſ. 3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*, & *Lucæ 10.* verſ. 16. *Qui vos audit, me audit*. Ergo &c.

Item Paſtores, & Doctores, quales fuere omnes Sancti Patres, dicuntur *Matth. 5.* verſ. 13. *ſal terræ*, quia per eos condiendi ſunt quodammodo populi, & *verſ.* 14. dicuntur *lux mundi*, quia eorum doctrina illuminanda eſt Eccleſia. Si ergo ſal illud, ut ait Chriſtus, *infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* ideſt, ut ait Auguſtinus *lib. 1.* de ſermone Domini in monte, cap. 6. *qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?* Item ſi lux non fuerit lucida, ſed potius erroribus obſcurata, quomodo totum Eccleſiæ corpus non erit tenebroſum?

Pulchre ergo, & ad rem aptiſſime Vincentius Lirinenſis *common. 1. c. 28.* *Quorum* (inquit) *beatorum Patrum ſanctum, Catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in 1. ad Cor. Apoſtolus*: & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos (*quorum ipſe unus erat*) ſecundo Prophetas (*qualem in actibus Apoſtolorum legimus Agabum*) tertio Doctores, *qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei divinitus per tempora, & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis unum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum, &c.*

XI. Hanc veritatem exemplo ſuo teſtata ſunt Concilia, & Pontifices ipſi: quoties enim aliquid circa fidem occurrit determinandum, ſingulari diligentia præcedentium Patrum monumenta ſcrutari conſueverunt, & ubi concordes illos invenerunt, ſecundum eorum ſententiam definitiones protulerunt. Nicænum primum, teſte Athanaſio *epiſt. ad Afros ſupra laudata* vocem *homouſion* ſtatuit, quia eam a Patribus accepit; Euſebius Cæſarienſis teſtatur, ob eamdem cauſam ſe eidem voci ſubſcripſiſſe. Ita *epiſt.* quam refert Theodoretus *hiſt. Eccl. lib. 1. c. 12.* *quandoquidem* (inquit) *nonnullos ex veteribus inſignes Epiſcopos, & diſertos ſcriptores in explicanda Patris, ac Filii divinitate, hoc vocabulo* conſubſtantialis *uſos eſſe cognovimus*.

In Concilio Epheſino paſſim, & maxime *action. 1.* ex relatis Patrum ſententiis Neſtorius damnatus eſt. Patres Concilii Chalcedonenſis *action. 1. & 3.* profitentur, ſe regulam SS. PP. amplecti, & maxime *in allocutione ad Marcianum Imperatorem*, quæ habetur *3. part. Concil. Chalced. c. 1.* Juſtinianus Imperator in Concilium Conſtantinopolitanum II. *tom. 3. Concil. Harduin.* col. 58. *ſequimur autem* (inquit) *in omnibus SS. Patres, & Doctores Sanctæ Dei Eccleſiæ, id eſt Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Theophilum; Joannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Auguſtinum, Proculum, Leonem, & omnia, quæ ab his de fide recta ad condemnationem hæreticorum conſcripta, & expoſita ſunt, ſuſcipimus*. Quod repetitur in eodem Concilio *coll. 3. col. 71.* iiſdem fere verbis, addendo *alios ſanctos, & orthodoxos Patres, qui in ſancta Dei Eccleſia rectam fidem irreprehenſibiliter uſque ad finem vitæ ſuæ prædicaverunt*. Quibus relectis in Concilio Lateranenſi anno 649. Martinus Papa dixit: *Manifeſtatur nobis, ex his, quæ reliqua ſunt, definita a Sancto quinto Concilio, condemnatum eſſe, & alienum Sanctæ Dei Eccleſiæ unumquemque, qui non ſuſceperit, verbo, & mente omnes ſanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctaque, quæ ab eis pro orthodoxa fide expoſita ſunt, in deſtructionem omnium hæreſum*. Idem Conſtantinopolitana tertia, ſeu ſexta Generalis Synodus *action. 18.* expreſſe profitetur; quod & Septima Synodus, ſeu Nicæna ſecunda proteſtatur; dum *action. 7.* decretum edidit pro cultu Imaginum contra Iconomachos his verbis: *ſanctorum noſtrorum, & divinorum Patrum doctrinæ inſiſtens &c.* Et infra: *hæc eſt fides Apoſtolorum: hæc Patrum &c.* Opus erat percurrere omnia Concilia, quæ in ſuis decretis formandis ſemper ad Patres, eorumque dicta reſpexere. Qui plura deſiderat, adeat Magiſt. Canum *lib. 7. de locis c. 3. concl. 5.* & integrum Vincentii Lirinenſis *commonitorium* attente perlegat.

Merito igitur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 4.* hiſce verbis veterum Conciliorum mentem, ac ſuam exprimens, *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia . . . . aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat*.

§. III.

Solvuntur argumenta contra ultimam concluſionem.

PAtrum auctoritatem enervare totis viribus conantur Heterodoxi, inter quos Rivetus, & Dallæus, ſperantes, Patrum auctoritate de medio ſublata, ſe traditiones non ſcriptas funditus evertiſſe.

XII. Primo ergo objiciunt Auguſtinum *lib. 11. contra Fauſtum cap. 5.* & locis ſupra citatis §. 1. *hujus dubii*, quibus ſoli Scripturæ Canonicæ infallibilem tribuit auctoritatem; quæ autem ab aliis ſcripta ſunt, *non cum credendi neceſſitate, ſed cum judicandi libertate* legenda ſunt: *liberum ibi habet lector, auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit &c.* Ergo negat Auguſtinus tan-

tantam eſſe Patrum auctoritatem, ut illis dicentibus adhærere teneamur.

Reſpondeo diſting. conſeq. ut illis ſeorſim, ac diſtributive dicentibus &c. conc. conſequentiam; illis collective, & ſimul ſumptis, nego conſequentiam. Ponit ergo Auguſtinus differentiam inter Scriptores Sacros, ſeu Canonicos, & alios Doctores, quod cuilibet Sacro Scriptori ſeorſim, & ſigillatim ſumpto cum neceſſitate credendum eſt, etiamſi unus ſit, ait enim: *In illa vero Canonica eminentia Sacrarum Litterarum; etiamſi unus Propheta, ſeu Apoſtolus, aut Evangeliſta, aliquid in ſuis litteris poſuiſſe, ipſa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare, quod verum ſit.* Cuilibet tamen Sancto Doctori, ſi unus, aut alter dicat, non ita credendum eſt, ut non liceat dubitare, quod verum ſit. Non tamen loquitur S. Auguſtinus de S. Doctoribus collective acceptis, ſeu prout ſummo conſenſu aperte, frequenter perſeveranter Scripturam Sacram exponunt, aut dogma aliquod proponunt, afferuntque, ut ab Eccleſia Catholica creditum, & prædicatum. Tunc enim Traditionis teſtes ſunt, & cuſtodes, & vindices, & fides eorum eſt fides Eccleſiæ, cui credendum eſſe S. Auguſtinus teſtatur *lib. contr. epiſt. fundam. cap. 5.* & *lib. 1. contra Creſconium cap. 33.* ubi hæc habet loquens de baptiſmo hæreticorum: *Quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen ſcripturarum etiam hac in re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate a Sancta Scriptura demonſtrat.*

XIII. Secundo objiciunt, & replicant. Nullum teſtimonium humanum aptum eſt, facere ex ſe fidem indubitatam in rebus divinis; ſed teſtimonium SS. PP. ſive ſigillatim, ſive collective ſumptorum, eſt mere humanum; ergo &c. Major videtur certa: labi enim, & errare hominis eſt, quod non tantum ſingulis accidit, ſed hominum plurium collectioni. Minor vero probatur. Singula Patrum teſtimonia humana ſunt: Ergo & ſingula in unum collecta: non enim poſſunt eſſe alterius generis in unum collecta, quam cujus ſunt per ſe ſingula, quia licet fortaſſis creſcat auctoritatis gradus ob multitudinem atteſtantium, non tamen mutatur auctoritatis ſpecies.

Confirmatur. Teſtimonium PP. non ideo verum eſt, quia ipſi dixerunt, ſed quia, vel ratio ab illi adducta, vel ſcriptura, quam referunt, perſuadet, eſſe verum; ergo eorum teſtimonium non per ſe ſufficit ad fidem divinam ingerendam. Antecedens patet, alioquin Teſtimonium Patrum a divino non diſtaret, ſi nullo rationis præſidio, vel auctoritatis indigeret. Et etiam probatur, cum enim fides ſit certitudinis, & veritatis immotæ, non poteſt referri ultimo, niſi ad teſtimonium per ſe verum, & immotum, quale unice eſt divinum: unde D. Auguſtinus hoc inter Chriſtum, & Eccleſiam diſcrimen conſtituit *lib. 2. cont. Creſcon. t. 21.* nimirum *Chriſtum ſemper veraciter judicare, Eccleſiaſticos autem judices, homines, plerumque falli.* Ita Rivetus.

Reſpondetur primo, diſt. minorem, teſtimonium Patrum eſt humanum; & doctrina, quam proponunt univerſi, & in qua conſentiunt omnes, aut ſaltem maxima pars, non eſt humana, conc. min. & doctrina, quam proponunt &c. eſt humana, nego min. Licet ergo teſtimonium Patrum, etiam in dogmate fidei docendo, aut exponendo conſentientium, humanum ſit; dogma tamen, quod ſummo conſenſu docent, humanum non eſt, ſed Apoſtolicum, & Divinum; non enim illud ſemper docuiſſet Eccleſia, niſi ab Apoſtolis accepiſſet nec Apoſtoli tradidiſſent, niſi a Chriſto, vel a Spiritu Sancto edocti fuiſſent.

Quare aliter ſecundo reſpondeo diſting. min. conſenſus PP. teſtimonium humanum eſt, quatenus Patrum eſt, conc. min. quatenus fides Eccleſiæ eſt, neg. min. ſicut enim regia diplomata regiam auctoritatem non habent, prout a Miniſtris conſcripta ſunt, ſed ut mandata regia continent, & ut regio ſigillo ſunt obſignata: ita Patrum ſententiæ in ejuſdem dogmatis aſſertionem, diverſis locis, atque temporibus conſentientium, illudque, ut dogma fidei proponentium, per ſe ſpectatæ teſtimonii humani vires non excedunt, ſed ut continent doctrinam Eccleſiæ auctoritate receptæ, ac veluti ſigillo obſignatæ, credendæ ſunt, non Patrum, ſed Apoſtolorum, atque Chriſti doctrinam continere.

Ad confirmat. omiſſo anteced. diſt. conſeq. eorum teſtimonium ſolitarie acceptum non per ſe &c. conc. conſeq. teſtimonium eorum conſentiens, ſubdiſt. non per ſe ſufficit a priori, & tamquam cauſa fidei divinæ: concedo conſequentiam, non per ſe ſufficit a poſteriori, & per modum ſigni, nego conſeq. teſtimonium ergo univerſale, & conſentiens Patrum non eſt per ſe ſufficiens, ingenerare fidem divinam per modum cauſæ, & a priori, eſt tamen ſignum, & argumentum, quo a poſteriori colligimus, id quod omnes SS. Patres, ut de fide proponunt, eſſe vere de fide, ſeu eſſe doctrinam ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam, & a Chriſto acceptam. Rurſus conſenſus Patrum traditionis index eſt, & argumentum certiſſimum: Scriptura vero Sacra docet, ineſſe traditioni divini teſtimonii pondus, & in rebus divinis eſſe ſupremæ auctoritatis, ac demum non eſſe accipiendam, ut verbum hominum, ſed ut verbum Dei.

Ad id, quod addit ex S. Auguſtino dico, eum vel loqui de judicibus Eccleſiaſticis, ſeorſim ſumptis, non collective, vel in quæſtionibus facti; quo pacto falli poſſunt, judicando aliquem hæreticum, qui hæreticus non ſit; quomodo Chriſtus ſolus falli nequit, non vero in quæſtionibus dogmatum; quo pacto Judices Eccleſiaſticos collective ſumptos errare non poſſe, idem Auguſtinus docet.

XIV. Tertio objiciunt, & inſtant. Ut teſtimonio Patrum efficaciter uti poſſemus in rebus fidei, deberemus eſſe certi, illud vere eſſe teſtimonium Patrum, & non ſuppoſitum, & illorum ſenſus deberet eſſe nobis exploratus; atqui nec ſumus certi, ea, quæ nomine Patrum circumferuntur, vere eſſe illorum, quorum eſſe dicuntur: cum multa, quæ alicujus Patris genuina opera putabantur, in dies, ut ſpuria, & ſuppoſititia ab Eruditis reſpuantur. Similiter vel tempore, vel imperitia, vel malitia, quæ ab illis ſcripta fuere, variis in locis immutata ſunt, vel adulterata; quare in antiquitate nihil incorruptum exiſtere, prudenter timeri poteſt. Senſus pariter Patrum aliquando adeo implexi ſunt, atque intricati, ut vix ullus extrahi ſenſus certus poſſit. Ita Dallæus.

Reſpondeo negando min. intellectam de ſcriptis omnium Patrum. Etſi enim ſint aliqui Patrum loci, quorum de Auctore, vel ſenſu ambigi poſſit, ut ſunt illi, qui vel ſuppoſititiis, vel dubiis veterum monumentis proferuntur, vel qui ſunt ita obſcuri ut verus eorum ſenſus vix percipi queat; non tamen omnes, aut plerique tales ſunt; &, ſi qui ſunt, a nobis non adhibentur cum de ſumma fidei agimus: Rurſus etſi dubium eſſe poſſit, an iſte, vel ile liber ſit hujus Auctoris, cujus dicitur eſſe, hoc tamen dubium eſſe nequit de tota Patrum collectione; vel de majori parte eorum. Quis enim dicat, omnes Patrum libros, aut etiam majorem partem illorum eſſe ſuppoſitam, vel falſatam? hoc eſſet, omnibus veteribus monumentis in quacumque materia fidem derogare, & in ſummam antiquitatis obſcuritatem homines dejicere. Cum ergo teſtimonium ſufficiens in rebus fidei non ſit unus, vel alter ex Patribus, ſed tota eorum collectio, aut ſaltem major pars; inde eſt, quod de teſtimonio Patrum, prout eo in rebus fidei utimur, & ad probandam Eccleſiæ traditionem aſſumimus, nullus ſanæ mentis dubitare poteſt.

XV. Quarto objiciunt, & urgent; Patres vel narrant ut teſtes, ea, quæ in ſui ſeculi Eccleſia credebantur, aut gerebantur, vel, ut doctores, quod ipſi ſentiant, exponunt; ſed ſi quolibet ex his modis loquantur, eorum dictum falli poteſt, ergo &c. minor pro prima parte probatur. Scire, quæ ſingulis ſeculis fuerit Eccleſiæ ſententia, eſt cognitio facti, non juris, hiſtoriæ. non fidei, & dogmatis: ſed Patres in re facti, & hiſtorica falli potuerunt, immo de facto multi errarunt: ergo &c. Pro ſecunda etiam parte probatur. Eſto enim Patres ſancti fuerint, & docti, homines tamen fuerunt; ergo in ſua proferenda ſententia decipi potuerunt, non enim habuerunt ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, qualem ſortiti ſunt librorum canonicorum Scriptores.

Reſpondeo, neg. min. pro utraque parte intellectam tamen de omnibus collective, vel de majori parte, & de rebus fidem ſpectantibus, & cum ab Eccleſia probata fuerunt Patrum dicta. Ad prob. min. pro prima parte diſt. min. poſſunt falli in re facti, ſi ſit merum, & ſimplex factum, conc. min. ſi ſit factum conjunctum cum Jure, & a Jure indiviſum, nego min. Quæſtio facti eſt, an libri, qui ab Eccleſia leguntur, ut canonici, ſint vere canonici: quæſtio tamen meri facti non eſt, ſed quæſtionem juris involvens, an ſcilicet in judicando de authenticitate Sacrorum Librorum judicium Eccleſiæ ſit infallibile: unde qui negat, Libros, qui in Eccleſia leguntur, eſſe canonicos, negat in Eccleſia eſſe firmum judicium de Libris Sacris. Sic quæ ſingulis ſeculis fuerit Eccleſiæ ſententia, quæſtio facti eſt, conjuncta tamen cum jure, nempe cum iſta quæſtione, quæ fuerit illis ſeculis vera fides. Quare ſi Patres univerſi, quando ut teſtes oculati, & approbati ab Eccleſia retulerunt de fide Eccleſiæ ſui temporis, erraſſent, ſequeretur, & errare Eccleſiam, quæ illos ut teſtes ſequitur.

Ad probat. ſecundæ partis reſpondeo ex dictis, probare quidem, ſingulos ſeorſim ſumptos errare potuiſſe, non tamen omnes ſimul, cum docent fidei dogma: alias Eccleſia, quæ illos ſequitur, erraret; hæc ſatis ſint. Qui plura velit, adeat inter cæteros Natalem Alexandrum *hiſtor. Eccleſ. ſecul. 2. tota diſſert. 16.*

XVI. Pro coronide hucuſque dictorum obſervandum cenſeo, quod licet auctoritas unius, vel alterius ex Patribus, etiam in rebus fidem ſpectantibus, ſe ſola non faciat argumentum infallibile, ſpecialis tamen ratio habenda eſt illorum Patrum, quos Deus poſuit quovis ſeculo in ſua Eccleſia, ut errores ac hæreſes eo tempore naſcentes eliderent, ſicut Arianis oppoſuit Athanaſium, Hilarium, & alios: Pelagianis, Donatiſtis, Manichæis S. Auguſtinum, aliiſque hæreticis alios Doctores ſua providentia oppoſuit.

Quapropter, ſi pro divinitate Filii Dei contra Arianos agendum erit, conſulendi erunt Athanaſius, Hilarius, aliique, qui cauſam hanc ex profeſſo tractaverunt, & quorum doctrinam Eccleſia Catholica amplexa eſt; atque horum auctoritati magis deferendum, quam eorum qui rem ſolum obiter tetigerunt.

Eadem ratione, quia S. Auguſtinus Gratiam Dei contra Pelagianos ſtrenue propugnavit, ejus auctoritas in cauſa Gratiæ plurimi eſt facienda; quia quos Deus ſpecialiter elegit ad alicujus erroris confutationem, ſpeciali lumine illuſtravit ad Catholicam veritatem tuendam. Hinc S. Auguſtini doctrinam, maxime dum de Gratia agitur, Sedes Apoſtolica ſummo pretio ſemper habuit. Eam a detractoribus tutatus eſt (Auguſtino vix mortali vita functo) Cæleſtinus I. *in reſcripto ad Epiſcopos Galliæ*, ubi ait, eum *ſiniſtræ ſuſpicionis* ſaltem rumore fuiſſe nunquam aſperſum: *tantæ ſcientiæ* fuiſſe, ut *inter magiſtros optimos etiam a ſuis prædeceſſoribus* ſemper haberetur. Cau-

ſam Auguſtini non eſſe ſolum Proſperi, & Hilarii, qui pro magiſtro ſuo agebant, ſed *univerſalis Eccleſiæ*, quæ quacumque *novitate pulſatur*, demum jubet, ut *improbis impoſito ſilentio*, ceſſet impoſterum hujuſmodi querela. Hoc Cæleſtini reſcriptum celebrat Sanctus Proſper *lib. adverſ. Collatorem cap. 21.* Hormiſdas etiam *epiſt. ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum*, qui ipſum conſulerat, quid ſentiret de Libro Fauſti Galli Regienſis Civitatis Epiſcopi, in quo de gratia Dei agebatur, multis pro eo contendentibus, aliis ſcandalum ab eo ſumentibus. Reſpondit, Fauſti librum non recipi. Fixa eſſe a Patribus, quæ fideles ſectari debeant, inſtituta. Et tandem concludit. *De arbitrio tamen libero, & Gratia Dei, quid Romana (hoc eſt Catholica) ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris beati Auguſtini, & maxime ad Hilarium, & Proſperum, poſſit cognoſci; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur &c.* Ex his apparet, ſexto ſeculo doctrinam Sancti Auguſtini in materia de libero arbitrio, & Gratia Dei fuiſſe doctrinam Eccleſiæ Romanæ, ideſt Catholicæ. Quod comprobatur quoque ex epiſtola Synodica Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum, data eodem ſeculo, quæ reperitur *tom. 2. Concil. column.* 1055. de Gratia Dei, & humano arbitrio ſcripta, in qua *num. 27.* ſic eos, ad quos ſcribunt, adhortantur. *Præ omnibus ſtudium gerite, libros Sancti Auguſtini, quos ad Proſperum, & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſda Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes, in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri, Conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit. Cujus hæc verba ſunt.* Deinde verba Hormiſdæ mox laudata ſubjiciunt. *Sanctus Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.* (inquit Joannes II. epiſt. 3. tom. 2. Conc. col. 1150.) Unde Capitula a Sede Apoſtolica ad Concilium Arauſicanum ſecundum tranſmiſſa, & ab hoc ſubſcripta, & in Canones redacta, quæ gratiæ neceſſitatem concernunt, fere omnia ex libris D. Auguſtini deſumpta ſunt.

Merito igitur Clemens XI. ſuo Brevi dato Romæ 28. *Jun.* 1704. Joannis Launonii libellum *traditionem* nuncupatum, quo S. Auguſtini nomen, & auctoritatem obſcurare, ac enervare in iis, quæ gratiam ſpectant conatus eſt, diris devovit, repertumque flammis aboleri, mandavit. Quem ſecutus Benedictus XIII. feliciter & ſancte regnans contra calumniantes doctrinam SS. Auguſtini, & Thomæ, ac ſi hæc in Queſnellianis propoſitionibus a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* proſcriptis damnata fuiſſet, in ſolamen utriuſque Magiſtri Diſcipulorum, ſuis litteris in forma Brevis ſub die *ſexta Novembris* 1724. declaravit, SS. Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa, & tutiſſima dogmata *de gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, & de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla previſione meritorum*, nedum præfata Conſtitutione non eſſe damnata, ſed eorumdem Diſcipulos jure merito gloriari, eſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſona, diſtricte inhibens, *ne quis in poſterum hoc nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat.*

DUBIUM VIII.

Locus ab auctoritate Theologorum Scholaſticorum.

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. SCholaſticæ Theologiæ ortum ac progreſſum, ejuſque utilitatem ſupra expoſuimus. Modo inveſtigamus, quantæ auctoritatis ſit argumentum ab ea petitum, ſeu quanti facienda ſit Theologorum Scholaſticorum in re fidei, ac morum ſententia.

Hic tamen, memento Lector, me, ſicut & ſupra, Theologi ſcholaſtici nomine, ſeu ſcholæ doctrinæ intelligere eam, quæ ex ſacrarum litterarum fundamentis deducta ſit. Non enim Theologos illos (quos Theologi nomine vix dignos reputo) hic intelligo, qui univerſas quæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolvunt in quibus Sacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſunt, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Patribus olent, nihilque ex gravi Philoſophia quidem. Immo, quæſtionibus vere Theologicis omiſſis; toti ſunt in metaphyſicis, vaniſque aliis ſumma animi contentione agitandis, implentes hujuſmodi commentariis codices; & tamen, ſi Diis placet (ut ait Cano *lib. 8. de locis cap. 1.*) Theologi Scholaſtici vocantur, nec Theologi, nec Scholaſtici, ſed Theologiæ, & Scholæ corruptores. Quod ſi hos ſolos damnaſſent Lutherus, Melanchthon, Calvinus, culpandi propterea non eſſent. Theologum ergo ſcholaſticum illum nuncupo, qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, docte e litteris, inſtitutiſque ſacris ratiocinatur.

Porro Theologos ſcholaſticos ita uſurpatos, eſſe in pretio habendos, jam ſupra oſtendi; quod adeo certum eſt, ut ex eorum contemptu inferat Canus laudato loco, Lutherum, aliosque ejus gregales in omnes errores ruiſſe præcipites: *Principio namque* (ait ille) *quod erat facile, ſcholæ auctoribus contemptis, ſcholæ quoque judicia contempſerunt. His neglectis, mox neceſſe erat, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius, Baſilius negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum ſuorum auctores habebant. At antiquis Sanctis poſthabitis, deſpectui quoque habita ſunt eorum concilia. Unde conſecutum eſt, ut & libros quoſdam Canonicos, & Eccleſiaſticam auctoritatem Lutherani contemnerent. Adeo verum illud eſt, qui minima negligit, paulatim defluit. Abſit invidia verbo. Nec enim minima ſcholæ auctoritas eſſe poteſt, quam parvi facere nemo ſine fidei diſcrimine poteſt.* Ita Canus, attente hac in re audiendus.

Poſſunt Scholaſtici Doctores, ut de Patribus diximus, ſumi vel ſigillatim, & ſeorſim; vel collective, & ſimul, ſeu de eorum doctrinis, in quibus inter ſe diſcordes ſunt; vel de iis, in quas omnes concordi ſententia conſpirant. His ergo præhabitis.

§. II.

Statuuntur aſſertiones.

II. DIco primo. Theologorum Scholaſticorum etiam multorum teſtimonium, ſi alii viri docti contrarium aſſerunt, neque Eccleſia quidquam ſtatuit, non plus valeat ad faciendam fidem, quam vel ratio ipſorum, vel gravior auctoritas comprobarit. Ita Canus laudatus cap. 4. qui addit. *In ſcholaſtica diſputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet: ſed ſi paucos viros modo graves ſecum habet, poterit ſane adverſum plurimos ſtare, non enim numero hæc judicantur, ſed pondere.* Et poſt pauca. *Quo loco ſane arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in ſcola acceperant, præjudiciis, viros alias Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur .... nec enim ſi quid, aut Scotiſtis, aut Thomiſtis pronunciatis contrarium eſt, error illico eſt.* Cum enim admittantur ab Eccleſia utriuſque partis, ſeu ſcholæ placita propria, tamquam probabilia, cenſura dignus poſſet exiſtimari, qui alterius ſcholæ dictis aliquam cenſuræ notam inurere vellet, niſi quid contra illam ab Eccleſia definitum fuiſſet.

III. Dico ſecundo. Ubi Theologi Scholaſtici ſummo conſenſu docent, aliquam doctrinam ex principiis fidei deduci, uſque adeo probabile, immo & firmum fundant argumentum, ut illi doctrinæ refragari temerarium, immo hæreſi proximum ſit. Hoc probo primo. Nam in quacumque arte Peritis credendum eſſe, ratio demonſtrat: nec enim ſanus crederetur, qui omnibus nautis in navigandi ratione non crederet; ſed judicare, aliquam doctrinam deduci, & eſſe connexam cum principiis fidei, Theologorum ſcholaſticorum ars eſt; ergo, qui omnibus Theologis aſſerentibus aliquam doctrinam neceſſario connecti, & deduci ex principiis fidei refragaretur, vel non ſanus, vel temerarius eſſet. Ac inſuper, quia qui negat doctrinam deductam ex principio fidei, videtur virtualiter negare principium fidei, ex quo deducitur: ideo etiam hæreſi proximus eſſet.

Secundo probatur. Quotieſcumque Theologi Scolaſtici cujuſcumque ſcholæ, qui magna fere ubique diſſenſione concertant, in una aſſerenda concluſione concordant argumento eſt, illam adeo clare ex ſuis principiis deduci, ut negari non poſſit; Non enim Doctores in factiones diſſecti in unam veritatem conſpirarent, niſi ſua claritate illos captivarent; ergo, qui vellet contrarium ſentire, temere, & ſine ullo fundamento procederet, hæreſiſque ſuſpicionem non effugeret. Eo vel maxime, quod tanta concordia inter Doctores, qui ordinarie, & naturaliter in contraria ſtudia feruntur, potius, quam humanum, divinum opus par eſt credere. Non abſimili modo, quo mirabile fuit ac divinum, quod ſeptuaginta duo ſenes (ut aliqui autumant) diverſis cellulis incluſi unanimes conſpirarint in eadem adornanda Sacræ Scripturæ Verſione.

Huic aſſertioni pondus accedit ex *Clement. unica de ſumma Trinit.* ubi Patres Concilii Viennenſis ſtatuunt, opinionem illam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tamquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem fore a Catholicis eligendam. Si ergo in re, quæ olim inter ipſos etiam Theologos Scholaſticos controverſa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud Patres in Concilio fuit: quanto magis nos res omni tempore a ſchola præſcriptas tenere, ac revereri debemus? Dum enim omnes conſentiunt, veritatem aliquam cum principiis fidei connecti, non datur amplius fundamentum prudens contrarium opinandi, quia certo conſtat oppoſitum; opinio autem de uno eſſentialiter ſupponit, non eſſe certum oppoſitum.

IV. Dico Tertio. Concors omnium Theologorum Scholaſticorum toto Orbe diffuſorum ſententia in re fidei, aut morum, ita firmum præbet argumentum, ut ei contradicere hæreticum ſit, vel ſaltem hæreſi proximum. Probatur primo. Nullum dogma reperietur, quod eadem mente, & ore Scholaſtici omnes certo ac firmiter aſſeruerint, quin idem in univerſum Eccleſia teneat, eorum auctoritate mota; & quod aperte ex Sacris Litteris, vel ex Apoſtolorum traditione, vel ex Conciliorum, aut Pontificum definitionibus non habeat certam originem. Quod ſi aliquid in contrarium invenire poſſunt Hæretici, proferant, & tacebimus. Ergo qui ejuſmodi omnium Scholaſticorum aſſerto refragatur, contradicit Eccleſiæ univerſæ, & vel repugnat Sacris Litteris, vel Apoſtolorum traditioni, vel Conciliorum, Pontificumve decretis.

Secundo prob. Si qua in quæſtione univerſi Theologi idem omnino concinunt, profecto, ſi in eo errant, Eccleſiam item errandi periculo exponunt, quia ſive qui confeſſiones excipiunt, ſive qui conciones ſpargunt, ſive qui ut Paſtores fideles ſibi commiſſos docent, omnes inſtruunt in rebus fidei, & morum, pro ut a ſchola accepere; ergo ſi tota ſchola erraret, totus populus erraret, & Eccleſia communem errorem diſſimulans, omnes Chriſtifideles ſuo ſilentio deciperet. *Error enim cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas, cum non defenditur, opprimitur*: ut ait Innocentius 83. *diſt. cap. Error*, & Felix III. ad Acacium. Quod ſi ita eſſet, Deus Eccleſiæ

ſuæ deficeret in neceſſariis. Quid enim facturus eſſet populus imperitus, niſi eos ſequi, quos pro illo tempore Eccleſiaſticæ doctrinæ Magiſtros accepit? Erraret ergo populus, erraret, vel ſaltem errori conſentiret Eccleſia; quomodo ergo ſtaret Chriſti promiſſio?

Confirmatur. Cum Dominus dixit, *qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*, Lucæ 10. v. 16. Item cum Paulus *ad Epheſ.* 4. dixit, quod Deus poſuit in Eccleſia alios *Paſtores, & Doctores in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*, non modo ad primos Theologos, & Doctores, hoc eſt Apoſtolos, verba illa referebat, ſed ad Doctores etiam in Eccleſia futuros, quandiu paſcendæ eſſent oves in ſcientia, & doctrina; ergo ſicut qui communem Theologorum Chriſto immediate ſuccedentium vocem audiebat, Chriſtum audiebat, qui eam contemnebat, Chriſtum contemnebat, ita qui Theologos juniores antiquis ſuccedentes audit, Chriſtum audit, qui ſpernit, Chriſtum ſpernit. Similiter ſicut primi Doctores, & Paſtores poſiti fuerunt in ædificationem Eccleſiæ, ne ſimus, ut parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, ne circumveniamur errore; ita poſitos fuiſſe doctores, illis per ſecula ſequentia prioribus ſuccedentes, credendum eſt. Quamdiu enim Chriſtus Corpus, hoc eſt Eccleſia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in Eccleſia Sacræ Doctrinæ Doctores habentur, tamquam a Deo poſiti veritatem in fidem teneant, ne populus parvulorum more circumferatur, & ab errore circumveniatur. Sed qui antiquis ſucceſſerunt, & qui modo in Eccleſia, ut Doctores habentur, ſunt Theologi Scholaſtici; ergo horum concors ſententia in fide firma eſſe debet, ſicut firma eſſe debet fides totius Eccleſiæ.

V. Dices, magnam eſſe differentiam inter veteres Doctores, & modernos Theologos. Illi enim docti erant, & ſimul ſancti; iſti non ita. Illi, ideſt Apoſtoli, habebant aſſiſtentiam Spiritus, qui eos docebat, ita, ut neque omnes, neque ſinguli errare poſſent; iſtis nec ſigillatim, nec ſimul ſumptis aſſiſtentiam Spiritus promiſſam legimus. Latum ergo diſcrimen eſt inter hos, & illos, ut illis credere teneamur, iſtis non.

Reſpondeo primo, me non intendiſſe, Juniores Theologos priſcis illis æquare. Scio, quantum antiquitati deferendum ſit, quantum ſanctitati. Scio, Apoſtolos accepiſſe Spiritum Sanctum, & quidem ſingulos. Hoc de ſcholaſticis non audeo dicere. Poſt Apoſtolos veteres Patres habeo, & veneror, ut traditionis teſtes, ut Patres fidei Proceres, & Doctores primarios Eccleſiæ. Poſteriores vero, & Juniores agnoſco, ut diſcipulos; qui tamen dum eadem docent, quæ a ſuis Patribus acceperunt, ſunt in eorum virtute, & loco ſubrogati, *quia & cum annoſa arbuſta ſucciduntur, in eorum robore teneræ virgulta ſuccreſcunt*, ait D. Greg. *lib.* 36. *moral. c.* 17. Sicut ergo Sanctorum veterum conſenſio, ut dubio præcedente dictum eſt, non in omnibus quæſtionibus ſequenda nobis, & tenenda eſt, ſed ſolum in fidei regula; ita Juniorum Theologorum concors ſententia non in omnibus quæſtionibus, ſed in iis ſolum, in quibus concorditer docent ex ſcripturis, vel traditione, & Patribus, vel ex Conciliorum, aut Pontificum auctoritate, quænam ſit fides Patrum, Eccleſiæ, Chriſti. Eſto enim non aſſeram, Scholaſticis Theologis, dum concorditer loquuntur, immediate adeſſe præſentiam Sancti Spiritus; eam adeſſe toti Eccleſiæ fatendum eſt: quæ cum in his rebus audire ſoleat, & conſulere Theologos, eorumque concordi ſententia veluti manuduci, & diſponi ad definiendum, ut in Florentino, & Tridentino Conciliis factum eſt; ſequitur conſequenter, ſaltem mediate, concordiam omnium Theologorum non eſſe opus prorſus humanum. Eo vel maxime, quia ordinarie, & naturaliter in contraria ſtudia ferri ſolent.

Eccleſia ergo quavis ætate, & tempore, quaſi corpus quoddam ſpirituale, & myſticum, perfectum, & abſolutum fuit, & erit uſque ad conſummationem ſeculi. In eo debent eſſe omni tempore oculi, ac cætera membra; Spirituſque veritatis inſtar animæ, omnia pro cujuſque conditione vegetans; oculi nimirum, ut manus, pedeſque regant, & ducant, ne fluctuent, circumferantur, circumveniantur errore. Cum ergo hujus myſtici corporis oculi, & lumina, Doctores ſint, qui in Eccleſia, quovis tempore fuerunt, ad providentiam Spiritus, cujus eſt hoc corpus ſervare, pertinebit numquam permittere, ut concordi ſententia omnia membra in errorem inducant.

Reſpondeo ſecundo. Inſtantiam hanc, quæ ex hæreticorum officina prodit, ſpiritum Phariſaicum ſapere, qui teſte Chriſto *Matth.* 23. *v.* 30. dicebant; *ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*. Sic dicunt moderni Proteſtantes (ait Canus laudatus) *Si eſſent Scholaſtici Doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Baſilius, ſequeremur eos. Si in diebus Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi fuiſſemus, non eſſemus ſocii Manichæi, Novati, Vigilantii, Pelagii, Joviniani.* Ipſis tamen optime aptatur Chriſti reſponſum v. 31. *Teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum*, qui Sanctos antiquos contempſerunt, quorum errores ab inferis excitaſtis, ut fuſe oſtendi in *Vera Eccleſia tom.* 1. *c.* 9. §. 3. Qui ergo Juniores Theologos contemnitis, eadem audacia veteres Patres contemneretis, ſicut eos de facto contempſit Lutherus, ut §. 1. *dubii præcedentis* oſtendi. Bene ergo, ait Chryſoſtomus, ſeu quiſquis alius auctor *operis imperfecti ſuper Matth.* homil. 42. *Cum audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis eſt circa ſuos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, ſuſtinet, & honorat, ſine dubio illos, ſi cum illis vixiſſet, honoraſſet; Si autem nunc contemnit, ſi cum illis vixiſſet, illos contempſiſſet*. Tandem contra Proteſtantes urget hæc inſtantia. Si juxta vos cuique fideli adeſt Spiritus privatus, ne in re fidei erret, diſcernendo verum a falſo: Quare iſte idem Spiritus non aderit omnibus Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus; dum concorditer aliquid ad fidem pertinens docent, cum Chriſtus dicat *Matth.* 18. *verſ.* 19. *&* 20. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cælis eſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Si ergo adeſſe dignatur, ubi duo, vel tres fuerint: quanto magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* Ita S. Gregorius *lib.* 7. *epiſt.* 111. modo *lib.* 9. *epiſt.* 106.

Quæ hactenus dicta ſunt de Scholaſticis Theologis applicanda ſunt Academiis, ſive Univerſitatibus ex præfatis Doctoribus congregatis. Quod enim omnes Univerſitates, vel Academiæ toto Orbe diffuſæ unanimiter docent, vel tamquam quid certo ad fidem pertinens, vel ex fidei principiis conſequens, ita certum debet haberi, ut hæreticum ſit primum negare, hæreſi vero proximum negare ſecundum. At ſi illud doceant tamquam probabile tantum, vel ſi una, vel altera Academia illud doceat, altera, vel aliis contradicentibus, tunc, ut mere probabile haberi debet: Una enim Academia, præſertim ſi ſit clara, & illuſtris (in re tamen, cui Sedes Apoſtolica non contradicat) ſufficit ad faciendam opinionem probabilem. Unde Caramuel *lib.* 1. *Theologiæ fundamentalis, fundam.* 5. *per totum, præſertim*, §. 24. hanc materiam fuſe pertractans, ſtatuit ſequentem regulam. *Modo nec in fidem, nec in Catholicam, totoque Orbe receptam morum doctrinam impingat in materia Politica; quidquid exteri Eccleſiaſtici, aut ſeculares ſentiant dicantve, unuſquiſque tenetur defendere jura ſuæ patriæ.*

D U B I U M IX.

Locus ab auctoritate Juris Pontificii doctorum.

§. I.

Theologi, & Canoniſtæ invicem comparantur.

I. SAcra Theologia, & Canonum ſcientia comparantur invicem, ſicut quaſi ſuperior, ſeu ſubalternans; & inferior, ſeu ſubalternata; quatenus principia, & fontes, unde Eccleſia decreta ſua, & canonicas ſanctiones eruit, ſunt vel principia, vel concluſiones Theologicæ facultatis, cujus eſt cognoſcere, & judicare, quæ a Deo ſunt revelata, vel quæ his ſunt vel conſequentia, vel repugnantia. Quamobrem utraque ſæpe in idem objectum materiale concurrit, quamvis diverſo modo. Quia Theologia illud magis inſpicit propter veritatis cognitionem, & dum actiones humanas dirigit, ea reſpicit potius in communi; tradendo regulas generales pro foro conſcientiæ, & dum de iis etiam in particulari judicat, de iis judicium profert relate ad forum internum & prout cauſa inter Deum verſatur, & hominem. Canonum vero ſcientia principaliter practica, & de actionibus, non tam in communi, quem in particulari, applicando eas ad hic, & nunc, & ut pertinent ad judicia, reſpicit actiones humanas, ut forum exterius præcipue concernunt, ac inter homines, & homines exercentur. His ſtantibus. Quæri ſolet, quænam præferenda ſit auctoritas in aliquo negotio, num Theologorum num Canoniſtarum? Qua in re eſt opinio Alvari Pelagii *l.* 2. *de planctu Eccleſiæ c.* 20. & Hoſtienſis *c. penult. de ætat. & qual. ordinandor.* docentium in materia ſimoniæ, uſurarum, & ubi de peccato agitur, ſtandum eſſe deciſioni potius Canoniſtarum, quam Theologorum: & Joannis Rojæ 1. *part. de hæreticis* volentis, materiam dogmaticam, ſi nondum deciſa ſit, ſpectare quidem ad Theologos, at ſi deciſa ſit, ejus cognitionem ſpectare ad Canoniſtas; quia tales definitiones Eccleſiæ in corpore Juris Canonici continetur. Hoc tamen non obſtante.

II. Dico primo. In rebus ad fidem pertinentibus præferenda eſt auctoritati Canoniſtarum auctoritas Theologorum. Probatur, quia Summi Pontifices, & Concilia, quorum decreta, & ſanctiones Jus Pontificium concludit, nihil quod ad fidem ſpectare videatur, unquam ex ſenſu ſuo definierunt, ſed ex Sacris Litteris, & Apoſtolorum traditionibus, quæ ſunt propria Theologiæ principia: ergo ejuſmodi rerum perfecta, & tuta intelligentia a Theologis, non a Canoniſtis petenda eſt, & a Theologis inſtrui debent Canoniſtæ: cujus defectu ſæpiſſime hallucinati ſunt Juriſtæ, ut ſatis apparet ex illius expurgatione tempore Gregorii XIII. facta.

III. Dico ſecundo. Etiam in iis, quæ concernunt Jus naturale, & divinum, ſive quæ ad mores per dicta Jura regendos pertinent, Theologorum auctoritas Canoniſtarum placitis præferenda eſt. Conſtat eadem ratione: Nam ea, quæ ſpectant ad Jus naturale, & divinum, complectens veterem, & novam legem, originaliter determinari debent ex principiis, & fontibus Theologicis; ſed agnoſcere, ac interpretari propria principia, & judicare de iis, quæ illa conſequuntur, potius, ac rectius poteſt facultas illa, cujus ſunt propria, quam quæ ea accipit ſolum, & a ſcientia ſuperiori ſupponit judicata, & probata; ergo de iis, quæ legem naturalem, & divinam concernunt, determinare, potius ad Theologum ſpectat, ejuſque judicio, ut tutiori ſtandum eſt, quam Canoniſtæ.

Propterea D. Thomas *quodlibet.* 11. *artic.* 9. *ad* 1. cum ſibi objeciſſet auctoritatem plurimorum, & magnorum Juriſtarum docentium, comedentem, vel ſtantem cum excommunicato peccare mortaliter, reſpondit: *Opinio Decretiſtarum non eſt vera, quia ipſi plus aſſentiunt in his, & ſequuntur jus humanum, quam divinum, cum plus ſit aſſentiendum Juri Divino, quam humano; & ideo melior eſt opinio aliorum, qui dicunt contrarium.* Dominicus etiam Sotus *in* 4. *diſtinct.* 13. *qu.* 1. 1. *art.* 8. referens errorem Joannis, qui ſuper Canonem *Accidens diſtinct.* 50. aſſerit, Clericum degradatum non retinere ordinem, nec conficere Sacramentum, reſpondet: *Gloſſatores iſti, quoties in Jus divinum falcem mittunt, cruentantur.* Adeo verum eſt, quod in iis, quæ pertinent ad Jus Divinum, magis Theologis, quam Canoniſtis deferendum eſt.

IV. Dico tertio: Ubi agitur de Legibus pure Eccleſiaſticis, per quas nimirum determinantur circumſtantiæ Juris naturalis, & divini, ut de Miniſtrorum officiis, de decimis perſolvendis, de pœnis, & cenſuris, aliiſque ſexcentis hujus generis, ut iis, quæ ad Forum Eccleſiaſticum, cauſaſque, & lites illius pertinent; Canoniſtarum ſententia præferenda eſt. Probatur. In quacumque enim materia, ſeu facultate a Peritis illius facultatis judicium deſumendum eſt; ſed omnia prædicta in Jure Canonico tractantur, & diſcutiuntur; ergo quoad illa Canoniſtis potius, quam Theologis adhibenda eſt fides. Quare D. Thomas *quodlib.* 9. *artic.* 15. tractans illam quæſtionem, an liceat alicui plures præbendas habere ſimul; & exorta controverſia, an lex abrogetur per conſuetudinem contrariam, vel non, ſubjungit S. Doctor: *Hæc controverſia juriſtis eſt relinquenda.*

Porro, quia Theologia pro ea parte, qua practica eſt, maximam habet connexionem cum Jure Canonico, infert Canus, Theologo, præſertim ei, qui ad animarum curam eſt deſtinatus, maxime utilem fore, & quaſi neceſſariam Canonum notitiam. Nam quemadmodum (ait Canus *lib.* 8. *cap.* 6.) non eſt in Abbatem eligendus, niſi qui ante fuerit in regula competenter inſtructus, ut *cap. Officii de electione* Innocentius tradit: Ita nec cura quidem Eccleſiam gubernandi eſt ei committenda, qui Eccleſiaſticas regulas neſcit. Theologus igitur, qui vel Epiſcopus, vel Parochus futurus eſt, niſi Canones ante didicerit, quibus fideles debent in Chriſtiana Religione, & Eccleſiæ cæremoniis inſtitui, non habebat profecto ad rem hanc publicam gerendam Theologiæ officinam ſatis inſtructam. Atque ideo Sacerdotibus ex Cæleſtino, Leone, Auguſtino, ſeptima Synodo, Concilio Carthaginenſi tertio, Toletano quarto, ut refert Gratianus *diſtinct.* 38. *&* 61. Canonum Eccleſiaſticorum notitia inculcatur.

Theologi inſuper a Summo Pontifice, & Epiſcopis adſciſcuntur, non ſolum ad prædicationis officium, ſed etiam ad confeſſiones audiendas, ad pœnitentias injungendas; quod vix bene præſtari poteſt ſine canonum notitia, pro ſolvendis caſibus circa excommunicationes, ſuſpenſiones, irregularitates, circa matrimonium, ejuſque impedimenta, circa ſimoniam, vota, perjuria, uſuras, furta: quæ ſi Theologus ignoret, quomodo officii ſui partes implebit, quomodo judicare poterit? ignorabit autem, falſumque judicium proferet, niſi Canones Eccleſiaſticos in talibus materiis evolverit. Alia plura videri poſſunt apud Canum laudatum.

§. II.

Reſolutiones dubii.

V. JUs Pontificium, ſeu Canonicum vocamus Jus illud, quod in decreto Gratiani, & Decretalibus continetur; de cujus origine, ac diviſione *in tract. de Juſtitia, & Jure* (ſi Deus dabit) dicemus. Nunc autem tantum ea deguſtabimus, quæ ejus auctoritatem concernunt, quantam ſcilicet certitudinem habeat probatio Theologica ab illo deſumpta. Pro cujus explanatione.

Adverto, in decreto (cujus auctor eſt Gratianus) quatuor ſpecies auctoritatum reperiri. Prima eſt Sanctorum Patrum, Conciliorum tam Generalium, quam Particularium, & Summorum Pontificum. Secunda ipſius Gratiani compilatoris hujus voluminis. Tertia cujuſdam *Paleæ*, de quo varie ſentiunt Doctores. Multi ea capita, in quibus res inanes, tenues, & modicæ utilitatis continentur, paleæ nomine vocitari crediderunt. Alii Paleam voluit fuiſſe quemdam Protopaleam Cardinalem, & Collectioni Gratiani capita hæc adjunxiſſe. Nonnulli ſentiunt Paleam fuiſſe Gratiani diſcipulum, & ſua auctoritate inſeruiſſe huic Volumini capita aliqua, nec authentica, nec ullam fidem facientia. Alii tandem, ut Barboſa, in procœmio decreti Gratiani putant, Paleas nil aliud eſſe, quam additiones marginales primo notatas, & forte ab ipſo Gratiano nonnullas, ut in relegendo a ſe compoſita fieri ſolet, quas deinde librariorum quidam omiſerint, alii in corpore, & contextu conjunctim cum prioribus capitulis interdum, interdum vero cum aliquo diſcrimine poſuerint. Quarta ſpecies eſt auctoritas Juris Civilis, vel ſecularium Principum, quorum multæ leges huic volumini inſertæ reperiuntur. His ſuppoſitis.

VI. Dico primo. Argumentum ſumptum ex auctoritatibus SS. PP. Conciliorum, Summorumque Pontificum in decreto contentis, ſi concernat materiam, & definitiones fidei, eam habet firmitatem, quam ſupra diximus, habere argumenta ſumpta ex Patribus, Conciliis, ac Summis Pontificibus. Concluſio hæc regulanda eſt, & probanda.

VII. Dico ſecundo. Si præfatæ auctoritates pertineant ſolum ad Eccleſiaſtica decreta reſpicientia diſciplinam, ac mores, quæ proprie dicuntur, & ſunt leges humanæ, certam quidem facere poſſunt probationem Theologicam, non tamen certitudinem fidei: mutari enim poſſunt; & maxime, ſi fuerint rerum duntaxat particularium, merique facti nullum jus involventis. Eſto autem Summus Pontifex in condendis legibus ad ſtatum Univerſalis Eccleſiæ ſpectantibus errare non

poſſit, non tamen hujuſmodi leges æquiparari poſſunt fidei definitionibus, quæ firmæ prorſus, ac immutabiles ſunt.

VIII. Dico tertio. Tres aliæ auctoritatis ſpecies, nimirum ipſius Gratiani compilatores, Paleæ, & Juris Civilis, vel ſecularium Principum non poſſunt facere ex ſe certam probationem, ad alicujus controverſiæ Theologicæ deciſionem. Primo, quia Gratianus, & Palea non aliam habent auctoritatem, quam Doctoris privati. Secundo, quia leges civiles inſertæ in decreto, ne quidem Juris Canonici vim habent, aut auctoritatem: Gratianus enim, qui eas inſeruit, talem non habuit poteſtatem. Et hoc verum eſt, etiamſi tales leges civiles ſint Clericis, & Eccleſiis favorabiles; talis enim favor nihil ſuffragatur ad ſupplendum in concedente facultatis defectum *cap. Eccleſiæ S. Mariæ de Conſtitutionib.* Intellige tamen, ut dixi, *per ſe*, & niſi prædictæ leges eſſent per aliquem Canonem a Summis Pontificibus receptæ, & approbatæ, quia eo ipſo ſuſcipiunt vim legis canonicæ, ut optime advertit gloſſa capite mox citato. *Quod alias eſt infirmum, confirmatio Papæ facit firmum.*

IX. Dico quarto. Quod de volumine Decreti, idem proportionaliter aſſerendum eſt de altera Juris Pontificii parte, ſex Decretalium libros, Clementinas, & Extravagantes complectentes, quibus addi poteſt Bullarium; in quibus omnibus, ut ſunt multæ Conſtitutiones ſpectantes ad particulares etiam communitates, immo & caſus ad Perſonas: ita aliæ ſunt ſpectantes ad regimen Civile, ac Politicum ſtatus Eccleſiaſtici, aliæ ad fidei dogmata, aliæ tandem ad univerſalis Eccleſiæ regimen in moribus. Pro hujuſmodi ergo diverſitate materiæ argumenta ab earum auctoritate deſumpta majorem, vel minorem in probationibus Theologicis certitudinem efficiunt. Si enim pertineant ad fidem, & mores, totam Eccleſiam dirigendo, faciunt certitudinem omnimodam: quia in his Papa, & Concilia Generalia infallibilitatem habent, ut ſupra dictum eſt. Si tantum Politicam externam, & Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticorum gubernationem reſpiciant, non efficiunt certitudinem prorſus indubitatam: ſicut ſi reſpiciant ſolam materiam facti particularis cum Jure non connexi; quia etſi facta, tum Pontificum, tum Conciliorum Generalium univerſim approbanda ſint, cum ſine maturo judicio nihil ſtatuant, in his tamen omnimoda infallibilitate non gaudent.

Rurſus circa decreta Pontificia ſpectantia ad fidem, & bonos mores, attendendum, an illa a Pontifice, tamquam a publico totius Eccleſiæ Magiſtro emanarint, an vero, ut a privato Doctore; quia ſi emanarint a Pontifice primo modo, certitudinem omnimodam faciunt, & de fide; ſecus vero, ſi procedant a Pontifice ſecundo modo, nimirum ut docente, quid ipſe, vel alii ſentiant, ut fecit Nicolaus I. cum dixit, Baptiſmum collatum in nomine ſolius Chriſti valere, ubi cum Ambroſio ſenſit.

Obſervandum etiam eſt, an Pontifex aliquid jubeat, an vero tenendum, vel credendum ſtatuat; qui enim ſolum jubet, non facit eſſe de fide, & qui contra juſſum facit, peccare quidem poteſt, ſed non errabit in fide. Hinc ab hæreſi excuſatur S. Cyprianus, cum Sthephano Papæ in materia de rebaptizandis hæreticis reſtitit, quia Pontifex in ſua epiſtola nihil definivit, ſed præcepit ſolum, quid, donec res definiretur, agi oporteret. Immo etiam a peccato excuſari poteſt, quia probabili ignorantia id fecit.

In probationibus Theologicis ex Jure Canonico ſolent aliquando afferri regulæ Juris, quæ in fine 6. decretalium collocantur, quarum auctor fuit Bonifacius VIII. quæ quidem non ſunt, nec faciunt jus, ſed ex jure ſumuntur, tamquam notæ breviſſimæ eorum, quæ ſeorſim traduntur in jure; & ab aliquibus definiuntur *generale axioma, ſeu pronunciatum, ex cujus notitia, & veritate multas facti ſpecies definire licet*, v. g. cum alibi traditum eſſet: Perjurum ad dicendum teſtimonium non eſſe admittendum ob ſuſpicionem perjurii: item marito ſævienti non eſſe facile reſtituendam uxorem ab eo digreſſam ob timorem ſævitiæ: ſumpta eſt occaſio condendi hanc regulam: *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus*. Hinc etiam in Jure Civili cum ſtatutum eſſet, ut piſces maris, vel fluminis publici occupantibus concederentur, item lapilli in littore maris inventi, ſicut &. aves, cum iſta in nullius bonis ſint, generalis orta eſt regula: *Quod nullius eſt, naturali ratione conceditur occupanti*. Si ergo una ex his regulis in Jure Canonico contentis aſſumatur ad probationem Theologicam, quæritur cujus ſit habenda auctoritatis.

X. Dico quinto. Regulæ Juris magnæ eſſe auctoritatis in rebus præſertim moralibus, ſi recte, & cum ſuis limitationibus intelligantur. Sunt enim veluti penus quædam, in qua totius fere Juris Canonici doctrina deliteſcit; adeoque viam aperiunt, de quavis cauſa confeſtim, & ex tempore reſpondendi; Ac inſuper tam firmum ſuppeditant argumentum, ut niſi oſtendatur, contra eas jus militare, vel rationem contrariam ſuadere, vel non bene applicari materiæ, de qua agitur, eis contradici non poſſit. Hinc ait gloſſa, potiorem eſſe ejus cauſam, pro quo militat regula: debet enim adverſarius oſtendere rationem, quare in illo caſu regula non loquatur.

XI. Præter hactenus dicta, ad Jus Canonicum reducuntur, & a Theologo in ſuis diſputationibus aſſumuntur aliquando decreta Sacrar. Congregat. D. D. Cardinalium, & deciſiones Sac. Rotæ: de his etiam quærendum eſt quanti ponderis ſint, & auctoritatis.

Obſervo, quod ante annos octingentos Romani Pontifices ad graviora negotia conſultanda cogere ſolebant Concilia, quæ Nationalia vocabant, iiſque Italiæ Epiſcopi intererant, & inſuper etiam Presbyteri Cardinales. Verum talia Concilia, quod vel bellorum incurſionibus, vel aliis de cauſis tam ſæpe

forte convocari non poſſent, omitti cœperunt, totaque res ad Cardinalium cætum redacta eſt, qui, partito munere variis in Congregationibus, res primum diſcutit, deinde ad Summum Pontificem defert. Hinc talium Congregationum decreta poſſunt conſiderari, & quatenus præciſe ab ipſis congregationibus prodeunt, & quatenus illis accedit approbatio, & confirmatio Summi Pontificis; & inſuper quatenus ſunt in materia fidei, vel in alia materia pure Eccleſiaſtica. De his ergo quæſtio eſt, quantæ ſint auctoritatis, ubi ad probationem Theologicam aſſumuntur.

XII. Dico ſexto. Decreta Congregationum in materia fidei, & morum ex ſe, & ut a Congregatione ipſa prodeunt, multi quidem ſunt facienda, ſed non præbent Theologo firmum, ideſt infallibile argumentum. Explicandum eſt aſſertum. Dixi *ex ſe*, quia ubi talia decreta in materia fidei, aut morum a S. Congreg. edita, adhibitis præciſe omnibus neceſſariis diſcuſſionibus, ſemel a Summo Pontifice approbarentur, & proponerentur univerſali Eccleſiæ, ſi eſſent in materia fidei, ut credenda, & ſi eſſent in materia morum univerſalem Eccleſiæ ſtatum reſpiciente, ut tenenda proculdubio certa omnino eſſent.

Dixi inſuper *multi eſſe facienda*, & jure. Nam præterquamquod multi ex Cardinalibus doctiſſimi ſunt, habent inſuper ſinguli ſuos conſiliarios viros omni ſcientiarum genere clariſſimos: ſicut enim in Conciliis, præter Epiſcopos, Theologi ſunt, qui materias examinant; ita in Congregationibus, præter Cardinales, ſunt Conſultores. Igitur earum declarationes non poſſunt non eſſe magni ponderis, & probabiliores contrariis aliorum Doctorum opinionibus: immo forte tantæ auctoritatis, quantæ ſunt decreta Concilii Nationalis, in cujus vices ſunt ſubrogatæ, ut dicebam. Quare omnes ſaltem in foro externo obedire tenentur, non obſtante quacumque opinionum probabilitate.

Tertia vero, & principalis pars, nimirum, quod non præbeant Theologo argumentum infallibile, probatur. Nam Cardinalium Congreg. neque ex ſe, nec virtute a Summo Pontifice accepta, gaudent privilegio infallibilitatis; ergo earum decreta &c. Anteced. pro prima parte eſt certum. Privilegium namque infallibilitatis in rebus fidei, & morum definiendis ſoli Summo Pontifici convenit, & Conciliis Generalibus ejus auctoritate congregatis, ut dictum eſt. Altera etiam pars prob. *ex Bulla Sixti V. de inſtitutione earumdem Congregationum* an. 1588. edita, quæ incipit *Immenſa*, ubi agitur de Congreg. octava pro executione, & interpretatione Concilii Trid. §. 8. habenturque hæc verba: *Cum ad ſingularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo ſpectet, Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari; & ut ubique locorum ſerventur, curare, ac præcipere. Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipſis reſervamus. Cardinalibus vero Præfectis interpretationi, & executioni Concilii Trid. ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis Judiciis, aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas, aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impartimur*. Ex quibus conſtat, Sixtum non dediſſe facultatem Cardinalibus decidendi dubia in materia fidei, ſed ſolum in concernentibus reformationem morum, diſciplinam, in judiciis circa caſus particulares, ipſo tamen ſemper conſulto.

Ratio autem eſt, quia poteſtas judicandi, & definiendi in materia fidei, & proponendi articulos ejus, qui totam Eccleſiam ad credendum obligent, alligata eſt dignitati Supremi Capitis, Paſtoris, & Doctoris Eccleſiæ, cui ſoli a Chriſto promiſſa eſt ſpecialis aſſiſtentia Spiritus Sancti, ne in rebus fidem, & mores totius Eccleſiæ concernentibus, errare poſſit; ergo ſicut non poteſt delegare alterum, ut ſit Eccleſiæ Supremum Caput, Paſtor, & Doctor, nec Spiritus Sancti aſſiſtentiam in alterum transferre: ita nec poteſt facultatem formandi decreta fidei alteri delegare, aut communicare.

Hinc Congregatio Sacr. Inquiſitionis, auctoritate ſibi a Summo Pontifice commiſſa, poteſt quidem, quos Eccleſia hæreticos dixit, ſive articulos, ſive homines ultima ſententia condemnare: ab ea tamen controverſia aliqua fidei decidi non poteſt, ita, ut tranſeat in articulum fidei, & qui diſſentiant, immediate ſiht hæretici, ex vi præciſe judicii Sacr. Congregationis. Similiter Congregatio pro Indice librorum prohibitorum habet quidem a Summo Pontifice auctoritatem practicam interdicendi libros, non autem illos condemnandi, niſi contineant doctrinam jam ab Eccleſia proſcriptam. Quo caſu Congregatio non facit, quod aliqua propoſitio, aut Liber ſit hæreticus, ſed tantum præſtat, quod Liber, qui aliunde erat hæreticus, pro tali ab omnibus cognoſcatur, & vitetur. Hæc enim eſt differentia inter Librum interdicere, & condemnare, loquendo de condemnatione infallibili: quod hæc, ut dixi, fundatur in Privilegio infallibilitatis, ita Summi Pontificis proprii, ut illud alteri prorſus communicare non poſſit; ſecus vero de poteſtate, vel auctoritate interdictorum. Videri poteſt Dominic. a SS. Trinitate *Biblioth. Theolog. lib. 3. ſect. 6. cap.* 14. rem hanc abunde pertractans.

XIII. Jam ad auctoritatem Rotæ Romanæ fiat tranſitus. Per Rotæ Romanæ auditorium intelligitur toto Orbe celeberrimum, ac notum Tribunal, ſeu Collegium, quod Romæ ex duodecim diverſarum Nationum, ac Provinciarum Auditoribus, juxta Bullam Sixti IV. pro dicendo jure, & juſtitia adminiſtranda quibuſcumque Perſonis ad Sedem Apoſtolicam undique confluentibus, coaleſcit. Olim enim iſtarum cauſas Summus Pontifex in Capella audiebat, adhibitis tamen in earum expeditionibus Juriſperitis, qui a loco audientiæ dicti fuerunt Capellani, vel etiam ſimpliciter, & abſolute Auditores, quod ad audiendum, & referendum duntaxat eſſent deputati, ac deinde ſecundum eorum relationem Summus Pontifex reſpondebat. Hinc emanaverunt decretales epiſtolæ, & magna Juris Canonici pars. Gravioribus poſtea negotiis haud permittentibus, ut Summi Pontifices omnes cauſas per ſe ipſos audirent, aut etiam relatas cognoſcerent, ac terminare poſſent, cœperunt deinceps plenam, ac difinitivam illarum diſcuſſionem præfatis Capellanis, & Auditoribus committere, qui jam communi vocabulo *Auditores Rotæ* dicuntur; quia in orbem ſedentes controverſias ad ipſos delatas rotant, diſcutiunt, & decidunt. Ita ex Gregorio Tholoſano *lib. 15. ſyntagm. Juris univ. c.* 42. Modo, quantæ ſint auctoritatis in Theologica probatione hujus Tribunalis deciſiones, quærimus ad rem noſtram.

XIV. Dico ſeptimo. Sacræ Rotæ deciſiones non excedere ex ſe terminos probabilitatis. Probatur primò, quia hæ ſolum ſunt doctrinales, ut ex communi ſententia docet Nicolaus Garſias *in præfat. ad tract. de Beneficiis*, ideoque non ſunt neceſſariæ, in jure dicendo, neque conſtituunt jus, niſi quoad partes, inter quas judicatur. Unde Cardinalis Aleander, qui fuit Auditor Rotæ *deciſiones* (inquit) *noſtræ non ſunt jura, & ideo poſſunt reprobari*. Et Barboſa *in cap.* 1. *de litis conteſtatione* aſſerit, communem opinionem eſſe majoris auctoritatis, quam ſit Rota, contra Imolam contrarium aſſerentem. Secundo, quia hujuſmodi deciſiones quandoque inveniuntur oppoſitæ, & contrariæ, vel pro diverſitate Auditorum Sacram Rotam componentium ſucceſſive, & diverſas ſententias a prædeceſſoribus tenentium; Vel etiam, quia iidem, cæteroquin ſapientes, & docti, facti tamen in dies ſapientiores, ac majori adhibita diligentia doctiores, primam in melius ſæpe mutant ſententiam.

Numquam tamen propterea contemnendæ ſunt, immo multi ſemper faciendæ hujuſmodi Rotæ deciſiones, cum exeant magna ſemper præhabita cauſæ ventilatione, & diſcuſſione, adhibitis etiam, ubi opus eſt, viris omni ſcientiarum genere clariſſimis. Unde in eo ſaltem, in quo declaratio, aut deciſio fieri debet, eſto infallibilis non habeatur, haberi tamen debet per modum Juris, ac legis directivæ ad alicujus controverſiæ in ſimili materia definitionem; & in probationem poteſt adduci, ut medium magis, vel minus probabile.

XV. Tandem de communi Juris Canonici Doctorum auctoritate agendum eſt. Hi enim ex Jure Canonico, ut ex fonte, multas concluſiones intulerunt, illud commentariis, & notis ad perfectam intelligentiam illuſtrarunt. Et quidem in his, quæ ad fidem pertinent, vel etiam ad mores, quatenus vel ratio naturalis, vel Lex Evangelica de hujuſmodi præſcribit, Juriſconſultorum auctoritas parum, & fere nihil Theologo conferre poteſt. In aliis tamen nemini dubium eſt, quin prodeſſe valeat; maxime quoad confectionem, & adminiſtrationem Sacramentorum, eorum ritus, circumſtantias loci, temporis, modi; hæc enim per Sacros Canones explicatius traduntur. Sicut etiam de moribus Eccleſiæ, & aliis legibus, de pœnis contra tranſgreſſores earum, de concernentibus Epiſcopos, Archidiaconos, Primicerios, Epiſcoporum Vicarios, Sedis Apoſtolicæ Legatos &c.

XVI. Dico ergo ultimo. Concordem omnium Juriſtarum, ſeu Canoniſtarum ſententiam Legum Eccleſiaſticarum interpretatione, adeo firmum præbere argumentum, ut illi refragari temerarium ſit. Ita Canus *lib. 8. cap. 7. concl.* 3. Et probatur primo, quia doctiſſimis quibuſque in arte ſua fidem habere opus eſt. Secundo quia cum Eccleſiæ Judices, & Miniſtri concordem omnium Canoniſtarum ſententiam amplectuntur, & Eccleſia talem uſum approbet, videtur quoque eorum intelligentiam approbare. Tertio, quia alienum a conjectura non eſt; Chriſtum Dominum Juris hujus Peritis quodammodo etiam adeſſe in legum Eccleſiaſticarum interpretatione, ne omnes errent. Cum enim Sacri Canones, inſtigante Spiritu Sancto ad Eccleſiæ ſint utilitatem editi, ut Damaſus Papa definit, conſentaneum eſt, ut Eccleſia, cui Canones illi ſunt neceſſarii, quibus in religione, & moribus contineatur, Interpretes ſanos a Deo receperit. Quid enim prodeſſent leges mortuæ niſi Reſpublica vivos Interpretes haberet, qui rectum earum ſenſum aſſequerentur?

In iis vero, in quibus non omnes concordes ſunt, quinam, ut magiſtri probabiliores, præferendi ſint, dicam: cæteris paribus, majori in pretio videri habendos eſſe illos, qui Eccleſiaſtica aliqua dignitate inſigniti fuere: ut ſunt Innocentius IV. Guido Groſſus, ſeu Guido Papa, qui fuit Clemens IV. aliique Summi Pontifices. Hos excipiunt e Cardinalibus Hoſtienſis, Cameracenſis, Turrecremata, Cuſanus, Jacobatius, ac ſimiles. Ex Archiepiſcopis Panormitanus, ſeu Nicolaus de Tudeſchis. Ex Epiſcopis Durantes, qui fuit Epiſcopus Mimatenſis. Quiſquis enim prudens exiſtimabit, per ſe loquendo, in iis, quæ ad Eccleſiaſticos Canones ſpectant, ob peritiam majorem, & experientiam, plus deferendum eſſe iis, qui in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti fuerunt. Eadem ratione plus deferendum eſſe Clericis per ſe, quam ſecularibus, & maxime quoad praxim; plus etiam Canoniſtis, quam Theologis pure ſpeculativis. Omnibus tamen præferendos cenſerem illos, qui ſimul Canoniſtæ, & Theologi fuerunt, ut e Cardinalibus Hoſtienſis, Turrecremata, Cuſanus, & alii.

DUBIUM X.

Locus a rationis naturalis, & ſcientiarum naturalium, & Philoſophorum auctoritate.

§. I.

Reſolutio primæ partis.

I. LOcus iſte (ait Canus lib. 9. cap. 1. *quamquam non eſt Theologiæ proprius, ſed alienus, magnus tamen eſt, & cum ab ſcholaſticis reliquis, tum a D. Thomæ familia excultus uberrime.*

Principio autem in hujus loci tractatione duos errores contrarios fugere debemus. Unum eorum, qui nimium rationi naturali tribuentes, ab ea ſemper ſua ducunt argumenta, ut Scripturam Sanctam, & S. Patres ne legiſſe quidem videantur. Alterum eorum, qui ſolis Sacrarum Litterarum teſtimoniis, aut interdum etiam Scriptorum veterum, omnia definiunt, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrentes, quam ſi eſſent Theologiæ adverſa, & inimica. De his diximus *ſup. qu. 1. dub. 2. & 3.* ubi antiquitatem, & utilitatem Theologiæ Scholaſticæ demonſtrantes, ad uſus Theologicos utilem eſſe rationem naturalem, ſi certis limitibus contineatur, oſtendimus. Ne igitur eadem repetamus, ad ibi dicta tyronem remittimus. In præſens ergo ſolum examinabimus, quanti pro argumento Theologico ratio naturalis facienda ſit.

Suppono ut certum, naturæ argumentatioes alias eſſe certas, incertas alias. Certæ ſunt, quæ dialectici *demonſtrationes* vocant, hoc eſt, quæ ex perſpicuis, & exploratis principiis aliquid certo, ac evidenter conficiunt. Incertæ vero, quæ licet probabiles ſint, nullam tamen habent ſuadendi neceſſitatem.

II. Dico. Eſto aliquando ex ratione naturali conjuncta cum fide certum Theologus ſumere poſſit argumentum, plerumque tamen argumentum ex ratione naturali deſumptum, Theologo infirmum eſt. Hic tamen non inficior, rationem naturalem firmum poſſe præbere argumentum ad probandum de Deo aliqua naturali lumine cognoſcibilia; ut enim optime obſervat Magiſter Canus *lib. 9. c.* 8. firmum argumentum eſt illud, quod *Actor.* 17. inducitur a Divo Paulo: In Deo vivimus, movemur, & ſumus: ergo Deus non longe eſt ab unoquoque noſtrum. Firmum etiam eſt illud, quo ad probandam in Deo ſcientiam, & providentiam *Pſ.* 93. dixit David: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* ac ſi dicat; Deus plantavit aurem: ergo audit; finxit oculum: ergo conſiderat. At Apoſtolus *Roman.* 1. cum rationes a natura profectas manifeſtas eſſe dixiſſet, tunc demum ad Deum Auctorem eas revocavit. *Quod notum eſt Dei* (inquit) *manifeſtum eſt illis*, ideſt Deus illis manifeſtavit. At quomodo? Num per Angelos? Num per Prophetas? Num per Apoſtolos? Minime id quidem. Sed *inviſibilia ipſius* (ait) *a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita, ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Ex creaturis ergo naturaliter cognitis certum ſumitur argumentum ad probandum Deum eſſe, ac ſempiternam habere virtutem, nec non divinitatem, ita ut inexcuſabilis ſit, qui eum cum ſic cognoverit, ut Deum non glorificat. Hinc ſi Philoſophi gentiles circa ea, quæ de Deo ratione naturali inveſtigabilia ſunt, erraverunt, id non inſufficientiæ rationis naturalis, ſed eorum vitio, ac menti depravatæ tribuendum eſt. His pro declaratione ſuppoſitis.

Prima pars concluſionis probatur in diſcurſu, cujus altera præmiſſa eſt revelata, altera naturaliter evidens. Talis enim diſcurſus vere & proprie eſt demonſtratio Theologica: id enim docet D. Thom. 1. *part qu.* 1. *art.* 8. *ad* 2. dicens: *Utitur tamen Sacra Doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) ſed ad manifeſtandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina.* Et 2. contra Gent. cap. 4. dicit, quod Theologiæ *quaſi principali Philoſophia humana deſervit: & ideo interdum ex principiis Philoſophiæ humanæ ſapientia divina procedit*. Rurſus: quia talis diſcurſus, & illata per illum concluſio deducta ex una præmiſſa de fide, & altera naturaliter evidenter ſemper eſt virtualiter revelata; ergo ſemper eſt vere, & proprie Concluſio Theologica; Antecedens probatur in hoc diſcurſu: omnis homo eſt redemptus a Chriſto: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt redemptus a Chriſto; in quo hæc concluſio, cum virtualiter contineatur in iſta revelata, *omnis homo eſt redemptus a Chriſto*, dicitur virtualiter revelata.

Secunda vero pars probatur. Nam, exceptis paucis principiis evidentibus, ſcientiæ naturales probabilia tantum docent; ſed propoſitiones probabiles, etiamſi conjungantur cum propoſitione divinitus revelata, non poſſunt aſſenſum certum parere (qui ſolus Theologicus eſt) ſed tantum probabilem; ergo &c. Min. videtur certa: talis enim eſt aſſenſus concluſionis, qualis eſt connexio medii termini cum extremis propoſitionum; ſed in diſcurſu habente unam aliquam præmiſſam probabilem tantum, & alteram revelatam, earum extrema ſolum probabiliter, & opinative conjunguntur cum medio termino; ergo non poteſt concludi, niſi concluſio probabiliter certa: quia concluſio ſequitur debiliorem partem, & bonum ex integra cauſa, malum vero ex quocumque defectu.

Major vero principalis ſuadetur ex tanta in Philoſophicis opinionum, immo & ſyſtematum varietate, qua fit, ut ſcientiarum naturalium effata, pro majori parte, ſint tantum probabilia, & opinabilia; quod diſcurrendo per ſingulas ſcientias naturales oſtendit Dominicus a SS. Trinitate *Biblioth. Theologica lib. 2. ſect. 5. cap. 9.* Inter Philoſophos enim modo ſunt, qui Platonis placita ſequuntur, alii, qui adhærent Democrito circa atomorum poſitionem, & Ariſtotelem a ſcholis exulare totis niſibus conantur. Horum alii Carteſium laudant, alii Gaſſendum ad ſydera extollunt; gloriantes, ſe ſuis atomis de rebus naturalibus melius philoſophari. Alii ſunt adhærentes Chymicis, qui ſe ſolos veros Philoſophos venditant, veraque rerum principia ex rerum diſſolutione ſe inveniſſe exiſtimant. Inter Peripateticos etiam quanta ſcholarum, ac placitorum diverſitas! adeo, ut verum eſſe experimento comprobemus dictum *Eccleſiaſtici cap. 1. verſ.* 11. Deus *mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*. Hinc diſcurſus iſte: *omnis homo habet tantum unam formam ſubſtantialem, Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus habet tantum unam formam ſubſtantialem* eſt mere opinativus, nec vere Theologicus: quia prima præmiſſa naturalis eſt mere probabilis, cum Scotus opinetur oppoſitum.

Objectiones, quæ contra hunc locum facere poſſent, ex parte a nobis propoſitæ ſunt, & ſolutæ *ſupra quæſt. 1. dubio 2. & 3.* ex parte videri poſſunt expugnatæ a Magiſtro Cano *lib. 9. cap. 9.*

§. II.

Locus ab auctoritate Philoſophorum.

III. QUanti auctoritas Philoſophorum a Theologo facienda ſit, ex dictis §. præcedenti apparet. Si namque naturalis ratio, & ſcientiæ naturales locus Theologiæ extraneus ſunt, nec ipſi firmum per ſe præbere poſſunt argumentum, multo magis hanc ſortientur conditionem talium ſcientiarum Profeſſores. Quare ad rem hanc D. Thom. opuſc. 10. *mihi* (inquit) *videtur tutius eſſe, ut hæc, quæ Philoſophi communes ſenſerunt, & noſtræ fidei non repugnant, neque ſic eſſe aſſerenda, ut dogmata fidei ..... neque ſic eſſe neganda, tamquam fidei contraria.*

Quomodo autem in rebus fidei Philoſophis fidere poſſemus, quos graviſſimis erroribus ſcimus fuiſſe implicatos, ut oſtendit S. Auguſtinus *epiſt.* 56. modo 118. *ad Dioſcorum*: qui inſuper ingenue confeſſi ſunt, ſe probabiliter tantum fuiſſe philoſophatos? Democritus, & Empedocles nihil vere a nobis ſciri, teſtati ſunt, Socrates, ſe tantum ajebat ſcire, quod nihil ſciret. Immo ne id quidem ſciri poſſe, docuit Arceſilaus; Anaxagoras cum ſuis putat, omnem, quam vocamus ſcientiam, puram eſſe opinionem. Et Plato ſub nomine Socratis determinatum, ac certum circa Philoſophica effata ſuſpendi aſſenſum, jubebat. Qua in re licet modum exceſſerint, omnem prorſus ſcientiam de medio tollentes, nos tamen docuerunt, quantam eorum dictis tribuere debeamus auctoritatem. Immo ipſemet Ariſtoteles, cæteroquin contra præfatos Philoſophos acerrimus ſcientiarum defenſor, ſæpe etiam fatetur, ſe probabiliter duntaxat philoſophari, *ut 3. Phyſic. text.* 52. 8. *Phyſic. text.* 70. *de 2. de Cælo text.* 17. *&* 60. Et nullam, quæ ſit vera, & rigoroſa demonſtratio, in omnibus libris ejus reperiri, ſcribit Poſſevinus *lib.* 13. *Bibliothecæ ſelectæ cap.* 20. Et licet aliquæ afferrentur; non concluderent, doctrinam Ariſtotelis ſimpliciter eſſe ſcientificam. Dari ergo ſcientiam, certum eſſe debet; at dari ſcientem, rariſſimum.

IV. Neque tamen quis putet, hoc diſcurſu me tendere ad omnem Philoſophis auctoritatem eripiendam. Fallitur enim. Immo ſi quid habent boni ac veri, ab illis, ut injuſtis poſſeſſoribus tamquam noſtrum repetendum eſt, & in uſum noſtrum vindicandum. Hoc enim monet nos Auguſtin. *lib. 2. de Doctr. Chriſt.* cap. 40. *Philoſophi autem* (inquit) *qui vocantur, ſi qua forte vera, & fidei noſtræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tamquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non ſolum Idola habebant, & onera gravia, quæ populus Iſrael deteſtaretur, & fugeret; ſed etiam vaſa, atque ornamenta de auro, & argento, & veſtem, quæ illa populus exiens de Ægypto, ſibi potius tamquam ad uſum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei.... ſic doctrinæ omnes gentilium, non ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris habent, quæ unuſquiſque noſtrum duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens debet abominari, atque devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos: quod eorum tamquam aurum, & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infuſa eſt, eruerunt, & quo perverſe, atque injurioſe ad obſequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis accepture Chriſtianus ad uſum juſtum prædicandi Evangelii. Veſtem quoque illorum, ideſt hominum quædam inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere, atque habere licuerit, in uſum convertenda Chriſtianum: Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nonne adſpicimus, quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuaviſſimus, & martyr beatiſſimus? Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam; quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt: quod eruditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorum*. Hucuſque acute, & eleganter S. Auguſtinus.

Inſuper Philoſophi Græciæ, ſi quid recte ſcripſerunt, hoc a Moyſe, & Prophetis hauſerunt, ideoque dum ea, quæ noſtra ſunt, venditabant tamquam ſua, vocantur fures a Clemente Alexandrino *l. 5. ſtromat. pag.* 550. Pythagoram non ſolum fuiſſe diſcipulum cujuſdam Nazarati, quem aliqui putant fuiſſe Ezechielem, ſcribit idem Clemens *lib. 1. ſtromat. pag.* 304. Sed ex Moyſe ipſum, & qui ab eo ſunt cognominati, multa ſuffuratos eſſe, teſtatur *lib. 5. pag.* 560. Immo D. Ambroſius, Pythagoram cenſet genere fuiſſe Hebræum. Certe fuiſſe circumciſum tradit Clemens *l. 1. pag.* 302. De Ariſtotele Clear-

Clearcus peripateticus teſtatur, ſe noſſe quemdam Judæum, cum quo verſatus eſt Ariſtoteles. Ita Clemens *lib.* 1. *pag.* 304. & Joſephus *lib.* 1. *contr. Appionem*. Platonem vero non ſolum a Pythagora, ſed a noſtris etiam doctrinam accepiſſe, aſſerunt Clemens *Admonit. ad gentes pag.* 46. ex Moyſe *lib.* 5. *ſtromat. pag.* 560. Auguſtin. *lib.* 2. *de Doctr. Chriſt. cap.*28. & *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 11. quamvis concludat, Platonem nec Jeremiam audire, nec libros ſacros legere potuiſſe; contendit tamen multa ab Hebræis hauſiſſe: quod Ambroſius multis argumentis ſuadet; & Plato ipſe in Timæo ingenue fatetur. Cum ergo, inquit Canus *lib.* 10. *c.* 6. ea, quæ e Philoſophis recte, & ſapienter dicta ſunt, noſtris nos diſputationibus inſeruerimus, repetemus noſtra, non aliena mutuabimur.

V. Sobrie tamen Philoſophorum dicta in quæſtiones Theologicas ſunt transferenda; & ex neceſſitate potius, quam voluntate; ut ſi nobis opponantur, poſſimus de iis judicare, & eos convincere, qua ratione dicit Hieronymus *in cap.* 1. *Daniel.* relatus *diſt.* 37. *cap. Qui de menſa*, tres Pueros ſapientium Babyloniorum diſcere: *non ut ſequantur, ſed ut convincant: quomodo, ſi quiſpiam adverſus Mathematicos velit ſcribere imperitus mathematis, riſui pateat: & adverſus Philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata Philoſophorum.*

Eorum etiam auctoritatibus uti poſſumus, ut eos (ut ajunt) *ad hominem* convincamus, & eorum principia in cauſam noſtram vertamus. Sic D. Paulus *actor.* 17. *verſ.* 28. Arati Poetæ dicto uſus eſt ad probandum, Deum, nedum nobis eſſe intime conjunctum tamquam omnium opificem, ſed inſuper tamquam noſtrum parentem: & hoc, quia Apoſtolus non fidelibus loquebatur, ſed Ethnicis, & quidem litteratis, apud quos ſuorum auctorum teſtimonia valere debebant. Quod exemplum non favet Concionatori, aut Theologo, ſi fideles alloquens profanum dictum uſurparet.

Dicta etiam Philoſophorum uſurpanda ſunt, ut veritas Chriſtiana etiam teſtimoniis adverſariorum congruere appareat. Sic Magos ſyderum adoratores per ſydus ad ſui adorationem Chriſtus traxit. Hoc enim ait Chryſoſtomus homil. 6. in Matth. *Ad majorem Dei gloriam pertinebat, ſi virtus ejus, etiam inimicorum teſtimonio panderetur: & ſi ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam proferrent de veri Dei poteſtate ſententiam.* Gentilium tamen teſtimonium ſervit quidem ad eorum falſitates evidentius improbandas, cum non ſolum a nobis, ſed ab ipſiſmet, velint, nolint, ut mendacia improbentur, non tamen ad auctoritatem eorum amplectendam, ut aut D. Auguſtinus *lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 15. *Sybilla porro, vel Sybilla, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi gentium de Filio Dei aut de Patre Deo vera prædixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum veritatem revincendam, non tamen ad illorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt.* Cæterum ſi dicta Philoſophorum nullo modo juvent Catholicam veritatem, nec revincant paganorum falſitatem, nec fidem impugnent, eorum ſtudio vacare vero Theologo ſupervacaneum eſt; illudque reprehendit D. Auguſtinus *epiſt.* 56. nunc 118. in Dioſcoro, qui, obſtrepentibus undique Arianis, Eunomianis, Cataphrygibus, Donatiſtis, Manichæis, Anaximenis, Anaxagoræ, aliorumque Philoſophorum ſtudio vacabat. *Vide*, inquit, *atque auſculta, utrum aliquis adverſus nos de Anaximene, & Anaxagora proferat aliquid: quando jam ne ipſorum quidem multo recentiorum, multumque loquacium Stoicorum, aut Epicureorum cineres calcant, unde aliqua contra fidem Chriſtianam ſcintilla excitetur, ſed circuli, atque conventicula partim fugacia, partim etiam audacter prompta, vel Donatiſtarum, vel Maximianenſium, vel Manichæorum, vel etiam ad quorum greges, turbamque venturus es, Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Cataphrygarum, cæterarumque peſtium innumerabiliter perſtrepant: quorum omnium errores, ſi cognoſcere piget, quid nobis eſt propter defenſionem Chriſtianæ Religionis quærere, quid ſenſerit Anaximenes, & olim ſopitas lites inani curioſitate recoquere, cum quorumdam etiam hæreticorum, qui nomine Chriſtiano gloriari voluerunt, ut Marcioniſtarum, & Sabellianorum, multorumque præterea, jam diſſenſiones, quæſtioneſque ſileantur?* Num hujuſmodi increpatio aptari poſſit noſtri ævi Theologis non paucis, qui unice intenti quid ſenſerit Ariſtoteles, quid Scotus, quid D. Thomas, in rebus mere opinabilibus, ac nullius ponderis, impune perſtrepere ſinunt, & Chriſti Eccleſiam lacerare Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, judica prudens lector. Cum Auguſtino iſtis dicam: *Tamen ſi opus eſt veritati adverſantes prænoſcere aliquas, & pertractatas habere ſententias, de hæreticis potius, qui ſe Chriſtianos vocant, quam de Anaxagora, & Democrito, nobis cogitandum fuit.* Utinam hoc Auguſtini monitum ſtudioſæ juventutis animis alte inſigatur! Ad rem ergo veniens,

VI. Dico. Philoſophorum omnium una eademque conſenſio certam fidem facit philoſophici dogmatis. Quod enim in aliis artibus valet, ut auctores probati tantum apud eos, qui eam artem ſequuntur, auctoritatis habeant, ut inde niſi temere diſcedi queat: id cur in Philoſophia non valebit, ne habentes quos ſequantur in rerum naturalium cognitione, vario Diſcipuli verſentur errore? Si in omni diſciplina, & arte oportet addiſcentem credere, ut & Ariſtoteles idem prudenter admonuit, & Theodoretus *l.* 1. *de curand. Græc. affectionibus* magna exemplorum vi patefecit: in philoſophica certe ſcientia perdiſcenda, ſcientiæ ejuſdem Profeſſoribus, in eamdem præſertim ſententiam conſpirantibus, fidem habeamus oportet. Deus ergo in quocumque rerum ordine, ut ſummus Proviſor, dedit leges, & qui leges interpretarentur. Apud Judæos, ubi erexit quaſi divinæ ſcientiæ gymnaſium, dedit Rabbinos, qui legem interpretarentur; apud Chriſtianos Evangelicæ Doctrinæ Academias eſſe voluit, ideoque dedit Apoſtolos, Evangeliſtas, Paſtores, Doctores; ergo, cum univerſis gentibus edocendis naturæ leges, ac diſciplinas ediderit, ejuſmodi legum, ac diſciplinarum Magiſtros inſtituit: quare Clemens Alexandr. *l.* 6. *ſtromat.* ait, Græcis a Deo Philoſophiam velut proprium teſtamentum eſſe datam. Si ergo ad ejus ſummam providentiam pertinuit, non permittere, ut omnes in Lege ſive Moſaica, ſive Evangelica interpretanda errarent; ita veroſimile eſt, eum non permittere, ut in exponendis naturæ legibus, aut in Dei cognitione, aut in vitæ, ac morum regula, omnes Magiſtri, ideſt Philoſophi hallucinarentur; quæ res efficit, ut juxta Pauli ſententiam *Rom.* 1. Græci fuerint inexcuſabiles: excuſabiles autem fuiſſent, ſi eorum Præceptores omnes a veritate deviaſſent.

VII. Dico ſecundo. Si de unius, vel alterius Philoſophi ſecta ſermo ſit, quo quiſque doctior, & gravior eſt, eo illius eſt probabilior auctoritas, & fide dignius teſtimonium: Nulli tamen Theologus ita ſe ſe adjudicare debet, ut ab eo ne latum quidem unguem putet diſcedendum. Non enim æquum eſt, ut apud Chriſti diſcipulos tantum unius Ethnici auctoritas poſſit, ut etiam ſine ratione vincat. Refert certe in quacumque arte plurimum, unum in illa excellentem auctorem legere, quem ſequaris; nullus tamen quamvis eruditus, ut olim Pythagoras ſuis diſcipulis, ſentiendi ſibi, aut diſſentiendi auctor futurus eſt. Nemo illorum fuit qui non ut homo hallucinaretur. In multis erravit Plato, erravit Ariſtoteles, erravit eorum quilibet. Præterea quis primatum inter Philoſophos habere debeat, quiſve proinde ille ſit, cui tutius adhærere debeas, adhuc incertum eſt. Auguſtinus, cæterique veteres Platoni detulere multum. D. Thom. ſummum, & cum eo univerſa Theologorum ſchola, putat Ariſtotelem. Nullos eſſe Chriſtianæ Theologiæ magis concordes, quam Platonicos, putat Auguſtinus. Plato ſiquidem fuit ex Hebræis Philoſophus, ut ſupra dictum eſt. Immo vero, inquit D. Thom. Peripateticorum doctrina Chriſtiano dogmati conſentit plurimum. Clemens enim Alexandrin. *l.* 5. *ſtromat. pag.* 795. refert, Ariſtobolum multis libris probaſſe *Philoſophiam Peripateticam ex lege Moſaica, & aliis dependiſſe Propheticis.*

Verum D. Thomæ ſententia (eſto a recentioribus quibuſdam impetita) omnium pene gentium multorum ſæculorum uſu probata eſt. Platonem enim jam a multis annis vix in angulis homines otioſi legunt. Ariſtotelem vero magno conſenſu Orbis Academiæ reſonant, per antonomaſiam Philoſophum, hoc eſt inter Philoſophos Principem. Jure igitur illum amplectimur, cujus de laude omnium eſt fama conſentiens, Divo etiam Thomæ in hoc cum omnibus fere ſcholaſticis adhæremus: in illis tamen, in quibus non diſcordat a Religione Chriſtiana: ſicut nec improbabimus Platonis Philoſophiam, quando fidei diſſonantia non docet; magis tamen Ariſtotelem ſequimur, tum quia de naturalibus melius ſervit explicandis Fidei noſtræ Myſteriis.

VIII. At dices, Ariſtotelem his ſolis noviſſimis ac miſeris ſæculis Theologos adoptaſſe; Platonem vero melioribus ſæculis principem locum obtinuiſſe: cum Patres priorum ſæculorum Platonici fuerint, non Peripatetici.

Reſpondeo, falli ſic opponentem. Refert enim Euſebius *lib.* 7. *hiſtor. cap.* 32. Diocletiano imperante, rogantibus Alexandrinis, ab Anatolio egregio Philoſopho inſtitutam fuiſſe in ea urbe celeberrimam Peripateticam Academiam adnormam Platonicæ, quæ Athenis florebat. Tunc autem ibi, ac eo ſæculo viri Apoſtolici vigebant plurimum; non ergo omnes erant Platonici, ſed alii Peripatetici. Sed ut ut res ſit, certum eſt, ex quo Theologi etiam philoſophari cœperunt, atque Philoſophiam in famulatum Theologiæ advocare, meliorem, & aptiorem, fideique obedientiorem invenerunt Peripateticum philoſophandi modum, quam Platonicum, alioſve, ut Carteſianum, & ſimiles.

§. III.

Locus a Juris Civilis auctoritate.

IX. JUris Civilis facultatem in multis viro Theologo commodam eſſe, certum judico. Ei enim, ut vidimus, Canonica ſcientia eſt neceſſaria; ſed huic peritia legum etiam Civilium adeo conjuncta, & colligata eſt, ut vix altera ab altera poſſit ſeparari; ergo a Theologo, cui Jus Pontificium familiare eſſe debet, non erit Juris Civilis cognitio aliena. Hinc Sanctus Auguſtinus non improbat, ſi terreni Imperii leges in ſuum adjutorium hæretici aſſumant. Multo ergo magis probandus erit Theologus, ſi ad hæreticos undequaque vincendos, adverſus eos legum etiam Civilium auctoritatem adſciſcit. Quare S. Auguſtinus contra Donatiſtas, qui nolebant legibus imperialibus corrigi, ſcripſit inter alia librum ad Bonifacium, ſeu *epiſt.* 185. ubi *cap.* . exemplo Pauli oſtendit, ad tuendam Eccleſiam, bonum eſſe auxilium petere ab Imperatore; & prius laudaverat Theodoſii legem hæreticis mulctam decem librarum auri ſtatuentem.

Nedum autem ad hæreticos revincendos; ſed & ad fidelium animas dirigendas Juris Civilis cognitio neceſſaria eſt. Quomodo enim Theologus ſive confeſſiones excipiens, ſive aliunde conſultus ſatisfacere poterit caſibus, & quæſtionibus de Juſtitia & Jure, de pactis, de ſtipulationibus, cæteriſque contractibus, de rerum dominio, de præſcriptione, donationibus, teſtibus, aliiſque ſimilibus, niſi ea, quæ in talibus rebus a viris in utroque Jure clariſſimis dicta ſunt, aliqualiter noverit: eſto enim juſtum inter & injuſtum dignoſcere, Philoſophorum, ac D. Thomæ libris Theologus adjutus poſſit: at id ſolum faciet in genere, in ſpecie autem, & in praxi ſine juris aliqua peritia non faciet.

X. Dico ergo. Argumentum, quod a jure Civili ducitur, quamvis nec certum, nec exploratum ſit, probabiliſſimum tamen eſt, maxime illud, quod a legibus Chriſtianæ Reipublicæ uſu probatis Theologus accipit. „ Ita Canus *lib.* 10. *cap.* „ 9. dicens, non enim ſine divino nutu hujuſmodi leges Ro- „ manis eſſe datas, credendum eſt. Quin divinitus per ora „ Principum promulgatas fuiſſe Joann. VIII. prædicat: & Au- „ guſtinus inquit, humana jura per Imperatores, ac Rectores „ ſeculi Deum humano generi diſtribuiſſe. “ Hæc Canus. Hinc Salomon Prov. 16. verſ. 10. *divinatio*, inquit, *in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus.* Ad Dei ergo procurationem pertinuit, ut numine quodam Legum latores afflarentur, & quoad reipublicæ moderationem ea ſcita præſcriberent, quæ eſſent juſta atque legitima. Quamobrem ſi Theologus ex illis argumentum ſumat, nihil abhorrebit a profeſſionis ſuæ inſtituto, & ſi non certo, probabiliter argumentabitur.

Hic tamen de Jure Civili loquor, non de in tali jure peritis, & interpretibus, maxime recentioribus, qui ad lites non finiendas, ſed protrahendas in immenſum creverunt. Jus Civile, ac leges ſub eo contentas, quas in republica bene inſtituta longus uſus probatas reddidit, ſcitu utiles Theologo judico. Jus enim Civile a pluribus Philoſophis graviter, prudenterque editum fuit, illud etiam non niſi graves, prudenteſque Philoſophi olim interpretabantur. Poſtea vero quam facultas hæc in eorum manu eſſe cœpit, qui nulla Philoſophia, nulla gravi diſciplina prævie inſtructi, & ornati ad eam acceſſerunt, ſoli captando lucro intenti, illius potius ſplendorem obſcurarunt, ac fidei detraxerunt. Novitios ergo Jure Conſultos in uſum Theologiæ non vindico. Sed id dico, civiles leges, eas maxime, quæ Chriſtiani populi uſu & more conſecratæ ſunt, Theologo ad argumentandum eſſe utiles.

D u b i u m IX.

Locus ab Hiſtoria humana auctoritate.

§. I.

Hiſtoria humanæ Theologo utilitas.

I. TAnta eſt viro Theologo Hiſtoriæ percurrendæ utilitas, immo dixerim neceſſitas, ut rudes omnino Theologos eſſe, in quorum lucubrationibus hiſtoria muta eſt, omnes vere docti conſentiant: & inſuper neminem in quacumque materia vere eruditum fore, cui res olim geſtæ, notæ non ſint. Multa enim nobis e theſauris ſuis hiſtoria ſuppeditat, quibus ſi careamus, & in Theologia, & in qualibet alia ferme facultate, inopes ſæpenumero, & indocti reperiemur; quod ſane indicant hi, qui ex ejus ignoratione in turpes errores lapſi fuerunt.

Nec Sacræ ſolum, aut Chriſtianæ cognitio, verum & profanæ, & ethnicæ Theologo utilis eſt. S. Auguſtin. *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 28. Ethnicorum etiam hiſtorias ad intelligentiam Scripturæ Sacræ plurimum conferre tradit, oſtenditque, ex earum varia intelligentia quoſdam circa Scripturas de ætate Chriſti varie opinatos fuiſſe, ut Irenæum, qui Chriſtum paſſum fuiſſe aſſerit quadragenario majorem, & prope quinquagenarium *lib.* 2. *adverſ. hæreſ. cap.* 39. & 40. nunc *cap.* 22. Tertullianum, qui *lib. adverſ. Judæos cap.* 8. ſcribit, Chriſtum habuiſſe annum quaſi 30. cum pateretur, ſecutus Clemens Alexandr. *lib.* 1. *ſtrom. pag.* 340. cui adhæſit Lactantius *lib.* 4. *divin. Inſtit. cap.* 10. cuique favit Auguſtinus ipſe *lib.* 18. *de Civit. Dei cap. ultimo*, omneſque alii, qui Chriſtum paſſum fuiſſe volunt, duobus Geminis Conſulibus. Ex ignoratione hiſtoriæ ethnicæ Eraſmus tenebras, quas Evangeliſta ſcribit in morte Chriſti effuſas ſuper univerſam terram, eas ſuper Judæam tantum fuſas intelligit, eo quod nullus Latinus, aut Græcus Scriptor ejus meminerit: Si namque Hiſtoriam Ethnicam legiſſet, aliter tenebras illas interpretatus fuiſſet; Phlegon enim Olimpiadum ſupputator egregius, *in tertiodecimo libro* ita ſcribit; *Quarto autem anno* 202. *Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta eſt. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in Cælo viſæ ſint, terræque motus in Bithinia Nicænæ urbis multas ædes ſubverterit.* Quod referunt Chronicon Alexandrinum *ad an. Tiberii* 19. S. Hieronymus *in Chronico*, & ante omnes Euſebius *in Chronico*, ubi annum illum cum Paſſione Dominica concurriſſe oſtendit. Quod præſtitit Origenes *lib.* 2. *contr. Celſum*, dicens *de defectu ſolis ſub Tiberio Cæſare, quo imperante, Jeſum conſtat Crucifixum, deque magnis ejus temporis motibus Terræ ſcripſit etiam Phlegon in* 13. *ut opinor, Chronicor.* Hoc argumento Lucianus Presbyter Antiochenus, vir moribus & eruditione præcipuus, cum gentibus de Fide Chriſtiana diſputans uſus eſt, ut refert Baron. *ad an.* 34. n. 120. *Requirite* (inquit) *in annalibus veſtris, & invenietis, temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato ſole, interruptum tenebris diem.* Et Tertullianus in apologet. cap. 21. *eodem* (inquit) *momento dies, medium Orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt: & tamen eum mundi caſum relatum in archiviis veſtris habetis.* Quod etiam fuiſſe a Sybilla prædictum, teſtis eſt Lactantius *lib.* 4. *Divin. Inſtit. cap.* 19. Quomodo ergo negaſſet Eraſmus, nullum latinum, aut græcum Scriptorem hujus rei meminiſſe, ſi hæc legiſſet?

Sapienter ergo S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. laudato. *Quidquid igitur* (inquit) *de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adjuvat ad ſanctos libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olympiadas, & Conſulum nomine multa ſæpe quæruntur a nobis, & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum &c.* & infra *de utilitate autem hiſtoriæ, ut omittam Græcos, quantum noſter Ambroſius quæſtionem ſolvit calumniantibus Platonis lectoribus, & dilectoribus, qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Jeſu Chriſti ſententias, quas mirari, & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didiciſſe, quoniam longe ante humanum adventum Domini Platonem fuiſſe, negari non poteſt. Nonne memoratus Epiſcopus conſiderata hiſtoria gentium, cum reperiſſet, Platonem Jeremiæ temporibus profectum fuiſſe in Ægyptum, ubi Propheta ille tunc erat, probabilius eſſe oſtendit, quod Plato potius noſtris litteris per Jeremiam fuerit imbutus, ut illa poſſet docere, vel ſcribere, quæ jure laudantur? .... Ita conſideratis temporibus, fit multo credibilius, iſtos potius de litteris noſtris habuiſſe quæcumque bona, & vera dixerunt, quam de Platonis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quod dementiſſimum eſt, credere.*

II. Utilis etiam valde eſt ad diſputandum contra inimicos Fidei rerum geſtarum hiſtoria. Tertullianus *in apologetico c.* 5. ex ipſis Romanorum hiſtoriis probat, perſecutores Chriſtianorum ſævos, crudeles, peſſimos fuiſſe: *conſulite* (inquit) *commentarios veſtros. Illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam, maxime Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe, ſed tali dedicatore, damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, nonniſi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* Quaſi diceret, hoc ipſum, quod primus Chriſtianæ Religionis damnator fuit Nero, probat, eam eſſe bonam, ac ſanctam: homo impius, ac in ſola ſcelera pronus, nec niſi malum approbans, non damnaſſet eam, niſi eſſet bona.

Pergit Tertullianus, ex eadem hiſtoria probando, e contra Principes, qui apud Romanos fuere ſapientes, Chriſtianis pepercisse, immo vero eis patrocinium dediſſe: *Cæterum de tot exinde Principibus uſque ad hodiernum, divinum, humanumque ſapientibus edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos e contrario edimus protectorem.* Ponitque exemplum in M. Aurelio, qui ob acceptum precibus Chriſtianorum beneficium, eos omni metu liberavit, eorum delatores damnavit, voluitque, ut omnes palam, libereque ferrentur, ac diſſeminarentur ubique, ac ſi diceret: Viri apud vos ſapientes Religionem Chriſtianam probant; ergo bona eſt: id enim ut bonum probandum eſt, quod viri ſapientes probant.

Tertio exinde probat, leges, quas contra Chriſtianos Imperatores tulere, eſſe impias, quia a viris impiis latas. *Quales ergo leges iſtæ, quas adverſus nos ſoli exercent impii, injuſti, turpes, truces, vani, dementes? Quas Trajanus ex parte fruſtratus eſt, vetando inquiri Chriſtianos &c.* ac ſi diceret: ſi virtus vitio contraria eſt, boni Imperatores, quales Veſpaſianus, Trajanus, Hadrianus, Pius, Ælius Verus ſuſtinere placita Chriſtianorum nequiviſſent, ſi quid in eis turpe, ac noxium comperiſſent? En quomodo ex ipſis Ethnicorum factis probat Tertullianus veritatem Religionis Chriſtianæ. Quo argumento etiam uti poſſumus ad probandam contra hæreticos veritatem Religionis Catholicæ, quam ſoli viri impii, & in moribus pravi perſecuti ſunt.

Quarto *in lib. ad Scapulam cap.* 3. multarum rerum geſtarum exemplis utitur, ut perſuadeat, ob vexatos Chriſtianos, multos Gentilium Præſides triſtes exitus habuiſſe. Quo argumento Tertullianus intendit, Scapulam Africanæ Provinciæ Præſidem a perſequendis Chriſtianis deterrere, & ſic agere potius cauſam Ethnicorum, qui perſequentes deſtruebantur, quam Chriſtianorum, qui in perſecutione ædificabantur: *Parce ergo* (inquit) *tibi, ſi non nobis. Parce Carthagini, ſi non tibi.... nec tamen deficiet hæc ſecta; quam tunc magis ædificari ſcias, cum cædi videtur.*

Nec Tertullianus ſolus. Cyprianus *lib. de Idolorum vanitate*, Idolorum omnium vanitatem hiſtoriarum commemoratione coarguit. Hieronymus *lib.* 1. *adv. Jovinianum* quot, quamque varias, etiam profanas, hiſtorias in commendationem virginitatis, & caſtitatis commemorat? Euſebius *lib.* 1. *hiſt. c.* 6. *lib.* 2. *cap.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. & alibi ex hiſtoriis humanis Judæos, Paganoſque confutat. Ergo hiſtoria nedum Eccleſiaſtica, ſed Ethnica etiam ad fidei hoſtes revincendos utiliſſima eſt.

§. II.

Hiſtoriæ humanæ in Theologicis auctoritas.

III. UT hiſtoriæ humanæ auctoritatem conciliemus, illud a principio ſtatuendum eſt, neceſſarium eſſe, homines hominibus credere, niſi vita pecudum more degenda ſit. Hanc rem (ait Canus *lib.* 11. *cap.* 4.) Theodoretus *lib.* 1. *de curandis græc. affect.* & Auguſt. *lib. de fide rerum quæ non videntur*, & *lib. de utilitate credendi* late proſequuti ſunt, ubi *cap.* 12. S. Auguſtin. ſic arguit. *Quæro enim, ſi quod neſcitur, credendum non eſt, quomodo ſerviant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant: non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt: ſed interpoſita matris auctoritate de patre creditur, de ipſa vero matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis*, & concludit, *nihil omnino humanæ ſocietatis incolume remanere, ſi nihil credere ſtatuamus.* Pergit vero oſtendens, ſi credendum eſt, magis credendum eſſe ſapientibus, & qui ſapientia caret, non quærere

rere ſapientem, niſi ſapientem eſſe credat; quæ conſonant cum vulgari Ariſtotelis effato: in omni facultate, & doctrina oportere addiſcentes credere; fides enim præcedit ſcientiam, ſcientia autem fidem ſubſequitur. Unde qui fidem ex humanis animis evellere conaretur, nedum ſtultus eſſet, ſed omni intelligentiæ clauderet viam; quid enim cognoſcere poſſemus, ſi ea, quæ viderunt alii, negaremus eſſe, quia ipſi non videmus? Videndum eſt, quomodo ſit credendum maxime a Theologo Hiſtoricis referentibus, & quantæ auctoritatis ſit eorum dictum.

IV. Dico primo. Nullus Hiſtoricus, præter Auctores ſacros, idoneus eſt per ſe ad faciendam certam in Theologicis fidem. Aſſertio hæc cuique eſt manifeſta, omnis enim hiſtoricus, præter Auctores ſacros, homo eſt, loquitur ut homo, & ſpiritu proprio, ſeu humano; ergo poteſt falli, & fallere. Inſuper nec omnia, quæ ſcribit, propriis oculis vidit, ſed ex aliorum dicto, a quibus facile poterat decipi, multa accepit. Quare non procul a vero Flavius Vopiſcus *in Aureliano* ait, *neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum;* eique a Julio Tiberio porrecta manu reſponſum fuit, *ſcribe ut libet, ſecurus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites.*

V. Dico ſecundo. Hiſtorici graves, & fide digni, quales nonnulli ſine dubio, & in Eccleſiaſticis, & in ſæcularibus fuere, probabile argumentum ſuppeditant Theologo, cum ad ea, quæ ſua ſunt corroboranda, tum ad falſas adverſariorum opiniones revincendas. Hæc aſſertio non minus eſt explorata. Non enim eſt hominis bene inſtituti, & ad vitam humanam recte compoſiti, viro gravi rem credibilem aſſerenti non credere. *Rem credibilem* dixi, quoniam quædam interdum ab Hiſtoricis, cæteroquin graviſſimis (ut forte a Plinio) referuntur, quæ, cum vix credibilia ſint, ſi ea fuiſſe negemus, non ideo hiſtoriæ auctoritatem lædimus. Uterque igitur, & *qui credit cito, levis corde eſt* Eccleſiaſtici 19. verſ. 4. & qui nimium tardus eſt ad credendum, jure reprehenditur. Nam *& eſt qui amittit verbum certum enarrans veritatem: eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo,* Eccleſiaſtici cap. 29. verſ. 23. Multo vero magis reprehenſione dignus eſt eo qui cito credit, ille qui pertinacia quadam refugit credere, maxime Auctoribus probatis, & gravibus. Si namque in *ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum* Matth. 18. verſ. 16. & hoc ſufficit ad convincendum in judicio reum; cur adverſus rem, pluribus teſtibus, ut olim geſtam, comprobatam conteſtantibus, Theologus, vel quivis alius conſurget? Eo vel maxime, quod teſtimonia ex vetuſtate ſumpta potentiora ad probandum ſunt, quia ea ſola, ut ait Fabius, criminibus odii, gratiæque vacant. Quare Innocent. I. 20. diſtinct. *cap. de quibus* ſtatuit, quod ſi neque in libris canonicis invenias veritatem, *Canones Apoſtolicæ Sedis intuere. Si nec in illis, ad Catholicæ Eccleſiæ hiſtorias Catholicas a Doctoribus Catholicis ſcriptas manum mitte.*

Hinc non poſſum non improbare quorumdam audaciam, ne dicam impudentiam, qui criticam, pluſquam par eſt, profitentes hac noſtra ætate, res, quas eſſe geſtas graviſſimi auctores teſtati ſunt, in dubium vocant, & etiam negant. Quod ſi idoneas cauſas, probabileſque redderent, audiendi fortaſſe eſſent. Cum vero aut reddant nullas, aut nullius, vel parvi momenti, contemnendi ſunt, qui communem omnium ſenſum exuerint, humanorum judiciorum potiſſima inſtrumenta, hoc eſt, hominum gravium teſtimonia rejecerint, & hiſtoriam, lucem veritatis, neglexerint.

VI. Dico Tertio. Si omnes probati, & graves Hiſtorici in eamdem rem geſtam concurrant; tunc ex horum auctoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica dogmata firma ratione conſtituantur. Sic Petrum Romæ & fuiſſe, & collocaſſe Sedem, & pro Chriſto martyrio coronatum fuiſſe, omnes graves hiſtorici tradunt, tota credidit antiquitas, & ex hoc certo probamus, Romanum Epiſcopum Petro in Epiſcopatu, & in Supremi totius Eccleſiæ Paſtoris dignitate ſuccedere. Sic Concilium Nicænum tempore Conſtantini coactum, & Silveſtro I. Eccleſiæ Pontifice comprobatum, hiſtorici quique graviſſimi prodidere. Ex hoc arguimus certe, Concilii Nicæni ſtatuta certa eſſe, quia certum eſt, Synodum Eccleſiæ Generalem, Romano Pontifice probante, errare non poſſe. Generalem vero fuiſſe, nos docet hiſtoria, qua habemus, ei univerſitatem Paſtorum non defuiſſe. Plurima ejuſmodi ſunt, quæ communi hiſtoricorum conſenſione firmata, certa nobis dant argumenta ad Theologicos diſcurſus.

Quis enim, niſi ſtultus, non modo negare, ſed etiam in dubium vertere, quæ omnes aſſerunt contigiſſe, audebit? Quid enim ſtultius, quam ſi crocodilos, qui in Nilo ſunt, aut alia genera monſtruoſa belluarum, quæ in mari gignuntur, quæque eſſe omnes teſtantur, nulla eſſe dicamus, quia nunquam vidimus? Si de medio tollimus id, quod nobis hiſtoriæ omnes, & teſtes graves aſſerunt, negabimus etiam Indias eſſe; & qui Mediterranei ſunt, nec unquam mare, aut naves viderunt, mare, & naves eſſe, negare poterunt, dari Leones, Pantheras, Elephantes, ut fabulas deridere. Ita plane hæc omnia ſequentur, ſi quod omnes hiſtorici aſſerunt, ad nos revincendos non ſufficiat. Bene ergo ſcripſit Joſephus lib. 1. contra Appionem: *Veræ hiſtoriæ indicium eſt, ſi de eiſdem rebus omnes eadem dicant, atque conſcribant.* Et Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap.* 29. Si falſum dicatur, quod omnes narrant hiſtoriæ, *conſequenter*, inquit, *omnium litterarum ſumma perverſio, & omnium qui memoriæ mandati ſunt, librorum abolitio, ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt, tanta hominum, & temporum conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne hiſtoria quidem vulgaris fidem poſſit, gravitatemque obtinere.*

§. III.

Regula diſcernendi inter Hiſtoricos.

VII. PRima regula ſumitur ex hominum honeſtate, atque integritate, quæ omnino locum habet, cum, quæ narrant hiſtorici, ea, vel ipſi viderunt, & ſe vidiſſe teſtantur, vel ab his, qui viderunt, accepiſſe. Pleraque hujuſmodi invenies *in epiſtolis* Cypriani, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, *in libris* quoque hujus *de Civit. Dei, in Dialogis* Gregorii, & in omnibus fere *Doctorum Eccleſiæ ſcriptis*: in iis enim, quæ iſti aut ex viſu proprio, aut ex dicto eorum, qui viderunt, viri alioquin integerrimi, & ſancti, mendacium aliquod ſuſpicari, grande piaculum eſt. Qua in re Eraſmus, & Heterodoxi recentiores ſæpe erraruntt; quid enim licentius, ac immoderatius dici potuit, quam Hieronymum aſſerentem Matthæi Evangelium Hebraicum ſe vidiſſe, immo illud deſcribendi copiam habuiſſe, in hoc virum ſanctiſſimum, ac doctiſſimum mentiri?

Regula hæc in profanis quoque hiſtoricis locum habet. Quædam enim Julius Cæſar, quædam Svetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus narrant, quæ auctores ipſi partim oculis conſpexerunt, partim acceperunt ab his, qui ea præſentes adſpexerant. In hiſce vero auctoribus, tametſi pietatem, veraque virtutum officia ſpectare non licet, licet tamen probitatem quamdam, bonitatemque naturæ conjicere. Quidam enim aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia, uſque adeo a mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortaſſe ſit, hiſtoricos gentium quoſdam veraciores fuiſſe, quam noſtros; qui ſæpe ſtudio partium nimium addicti, aut vera ex odio tacuerunt, & tacent, aut ex nimio amore aliqua non vera, & aliquando inepta, & puerilia iis, de quibus ſcribunt, affingunt. Et hoc, non de profanis ſolum, ſed etiam de aliquibus ſacris hiſtoricis dico, *Dolenter* (inquit Canus lib. 11. cap. 4. non longe a fine) *hoc dico potius, quam contumelioſe, multo a Laertio ſecurius vitas Philoſophorum ſcriptas, quam a Chriſtianis vitas Sanctorum; longeque incorruptius, & integrius Svetonium res Cæſarum expoſuiſſe, quam expoſuerint Catholici, non res dico Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum, & Confeſſorum.* Quo factum eſt, ut dum falſis, mendacibus, & plerumque vanis, ac ineptis præſertim revelationibus, & miraculis, mentes mortalium ad Sanctorum cultum accendere voluere, nil aliud egerint, quam ut veris propter falſa adimatur fides, vera æque, ac falſa ab hæreticis rideantur, & quæ ſevere ab auctoribus plane veracibus edita ſunt, ea etiam revocentur in dubium.

Nec novum eſt, noſtriſque ſolis temporibus cœptum eſt, veras Sanctorum narrationes fabulis intermixtis contaminari; multa Sanctorum acta ita interpolata repetit Gelaſius I. quæ proinde in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum reprobavit, atque ſpuria, vel ſuſpecta a legitimis & genuinis ſeparavit. Hoc ideo monitum volui Lectorem, ut a quorumdam falſa imaginatione caveat, qui res Sanctorum præclare geſtas non ſe putant egregie expoſituros, niſi eas fictis revelationibus, ac miraculis adornarint: dumque ſtudio erga ſanctum plus æquo abrepti, illum extollere ſupra cæteros putant, Eccleſiæ Chriſti vehementer incommodant, impiis non levem ſubſannandi occaſionem præbent, piis vero lacrymandi.

Hinc ſecunda regula pro hiſtoriæ judicio erit, ut eos hiſtoricos reliquis anteferamus, quos ingenii ſeveritati quamdam prudentiam adjunxiſſe, & ad eligendum, & ad judicandum cognoverimus; quos inſuper ad ſcribendum excitatos fuiſſe amore veritatis, non complacendi, aut adulandi genio. Et hoc locum habet nedum in rebus, quas nec Scriptores viderunt, nec ab iis qui viderant accepere; ſed etiam in iis, quas ipſi videre potuerunt, vel dum viverent, contigerunt.

Unde colliges primo, minorem fidem per ſe ſibi merito conciliare hiſtoricos illos, qui ſtipendia a Principibus, vel aliis accipiunt, ut eorum facta enarrent, vel in eorum obſequio commorantur. Dixi *per ſe*, nam eſto illa, quæ pertinent, ad talem Principem poſſint eſſe illis magis nota; prudenter timere poſſumus, ne potius adulationis, quam veritatis amore conſcripſerint. Caute ergo legendi ſunt, & obſervandum, quomodo ſe gerant in ſcribendo. Si enim, quæ aliquis minus recte geſſit recenſeat late hiſtoricus, omiſſis, vel leviter pertractatis illis, quæ honorifice geſſit, ac laudabiliter, licet hæc fuerint multa, & inſignia, illa vero pauca, & levia; vel vice verſa narret ſolum laudabilia, quamvis pauca, eaque extollat ut magna, prætermiſſis minus laudabilibus, quamvis hæc nec pauca fuerint, nec occulta; Hic merito in ſuſpicionem venit, ne ſimultate, & paſſione odii, aut amoris, aut adulandi animo potius, quam amore veritatis conſcripſerit. Caute propterea legendi ſunt, qui de aliquo errore, vel hæreſi ſuſpecti, illius hæreſis, vel illius auctorum hiſtorias narrant, diminuti enim eſſe ſolent in iis, quæ contra ſe militant, effuſi autem in iis, quæ ſibi favent: & plerumque ſibi ſolum favorabilia plus nimio extollunt, & aliqua falſa comminiſcuntur.

Secundo. Minor quoque fides habenda eſt illis hiſtoricis, qui quæcumque a quolibet ferme ad ſe delata, nullo habitu delectu, in annales ſuos congerere ſoliti ſunt.

Tertio. Tandem minorem certitudinem, ac probabilitatem per ſe habent ſcribentes illa, quæ ſuo non contigerunt tempore, nam ſic ex fama, audituque multa neceſſaria eſt ut proferant. Hæc indicavit Card. Baronius ad an. 34. n. 177. his verbis. *Non parum certe intereſt in veritate hiſtorica diſquirenda,*

auctorum, qui res geſtas ſcripſerunt, quo vixerint tempore, cujuſque fuerint eruditionis, atque exiſtimationis, habere rationem: potiſſimumque, ſi hujuſmodi ſcriptores rerum perſpectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem, ac virtutem cum doctrina, & veritate conjunxerint, ut plane digni ſint, quibus fides integra adhibeatur: ſoli ſint, quibus cæteri aſſentiantur: ſoli denique ſint, quibus reliqui quæ ſciverint, vel ſcripſerint, tamquam ab iis accepta referant. Licet autem hiſtorici, qui ſcripſerunt ea, quæ ſuo contigerunt tempore, regulariter majorem fidem mereantur; Interdum tamen poteſt eſſe veracior hiſtoria ſcripta ab illis, qui poſtea ſcripſerunt, eo quod cogi aliquando poſſunt hiſtorici ad reticenda multa, licet publica, vel ſemipublica, viventibus Principibus, ac aliis, quorum facta præſentia ſcribuntur. Inſuper dum ſcribunt ea, quæ ſuo quidem tempore contigerunt, in remotiſſimis tamen locis acciderunt, ideoque fieri potuit, ut mendaciſſima ad eos delata fuerint, quæ detecta, a poſterioribus fuerint ſcriptoribus emendata. Vel tandem quod qui res præſentes ſcripſerunt, eas, ut ſupra dicebamus, non ex veritatis amore, ſed prout eos animi affectio ferebat, exaraverint.

Tertia regula eſt. Si cui hiſtorico auctoritatem Eccleſia tribuit, hic procul dubio dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contra vero, cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos merito fidem derogabimus. Porro, cum Gelaſius Papa hiſtoriam de vitis Antonii, Pauli, Hilarionis, a S. Hieronymo conſcriptis, cum omni honore ſuſceperit, & collaudaverit Oroſium, & Silveſtri Acta, ſicut & Euſebii Chronicon non repudiaverit, ea & nos ſuſcipere, nec repudiare debemus; & ſi quas alias hiſtorias reperimus, ab Eccleſia vel collaudatas, vel non repudiatas. E contra vero cum idem Gelaſius inter Apocrypha amandaverit Clementis libros octo, Acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ nominibus falſo edita, librum de infantia Salvatoris, alterum de ejus Nativitate, librum Paſtoris, Acta Theclæ, & Pauli, aliaque ejuſmodi, ideo hæc omnia tamquam nullius auctoritatis a Theologo habenda ſunt.

VIII. Dices. Gelaſius inter Apocrypha rejecit etiam Euſebii hiſtoriam, & tamen ex ea Theologus ſæpe ſumit argumenta.

Reſpondeo, Euſebii hiſtoriam a Gelaſio partim approbari, partim improbari; approbatur ob rerum notitiam ſingularem; improbatur ob Jeſu ad Abgarum epiſtolam ab eo relatam, quam ibi Gelaſius rejicit, ut apocrypham; ob nimias Origenis laudes; & ob Ariani dogmatis fuliginem, qua aliquando hiſtoriam ſuam maculat, & Arianorum patrocinium. Unde Sanctus Hieronymus epiſt. ad Pammachium, & Oceanum: *Eccleſiaſticam* (inquit) *pulchre Euſebius hiſtoriam texuit, ſed impietatis Arii apertiſſimus propugnator eſt,* & ep. *ad Creſiphontem* de Euſebio, *quem* (inquit) *fuiſſe Arianum nemo eſt, qui neſciat.* Quare cum Synodo VII. actione 6. teſtimonium Euſebii eſſet prolatum, Epiphanius reſpondens, *Euſebius* (inquit) *Pamphili in teſtimonium ducitur, qui ab omni Eccleſia Catholica noſcitur Patronus eſſe Arii hæreſeos, quemadmodum in omnibus conſcriptis ſuis, expoſitionibuſque continetur &c.* Ex hac ergo parte Euſebius jure, ejuſque hiſtoria improbatur, dum ait, *Hiſtoria Euſebii Pamphili Apocrypha.* Ex alia vero eam probaverat dicens, *Chronicum Euſebii Cæſarienſis, atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit* (errorem Arianum ſcilicet ferendo) *& poſtea in laudibus, & excuſatione Origenis unum compoſuerit librum: propter rerum tamen notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.* Ejus propterea uſus eſt teſtimonio Vigilius in conſtituto. Et Pelagius II. *epiſt. 3. ad Eliam Aquilejenſem, & alios Epiſcopos Iſtriæ* Euſebii hiſtoriam impenſe commendavit his verbis: *Quid namque in Hæreſiarchis Origene deterius, & quid in Hiſtoriographis inveniri Euſebio honorabilius poteſt? Et quis noſtrum neſcit, in libris ſuis quantum Origenem præconiis Euſebius attollat? ſed quia Sancta Eccleſia ſuorum fidelium corda benignius, quam verba diſtrictius penſat, nec in hæreticis ſenſum proprium teſtatio Euſebii abſolvere potuit: nec rurſum Euſebium laudati Origenis culpa damnavit.* Ecce quomodo abſque ulla contrarietate unus Pontificum Euſebii hiſtoriam laudat, quam alter condemnarat. Immo uterque, quæ ſana ſunt laudat, quæ vero ſuſpecta uterque damnat. Plura hic laudatus Canus de hiſtoria, ac hiſtoricis congerit, Criterium eorum faciens, & ſemper erudite. Nos in locis his Theologicis ſatis ſuperque Studioſum detinuimus. Qui plura optarit, Canum adeat: Nos interim e veſtibulo ad interiora Theologiæ tranſibimus.

TRACTATUS SECUNDUS
D E D E O
Ejus Exiſtentia, Natura, & Attributis.

DEI nomen latinis exprimit ens perfectiſſimum ſupremam omnium rerum cauſam, a ſe exiſtentem, a nullo dependentem, a qua ut a primo principio omnia pendent & ad quam ut ad ultimum finem omnia ordinantur. Hoc nomen Deus, teſte Damaſceno *lib. 1. de fide cap. 12. modo 9.* a nomine Græco *Theos* derivatur, quod vel *currere, & confovere* ſignificat, vel *urere*, vel *omnia perſpicere.* Primam derivationem indicavit Sapiens *lib. Sapient. cap.* 8. *verſ.* 1. de Sapientia dicens: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter.* Secundam Apoſtolus ad *Hebr.* 12. *verſ.* 29. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Tertiam idem Apoſtolus *ibid. cap. 4. verſ.* 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Quia vero hoc nomen Deus conſiderari poteſt, tum ex parte ejus, ad quod ſignificandum impoſitum eſt, tum ex parte ejus a quo eſt impoſitum. Si primo modo conſideretur, docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 13. *art.* 8. quod eſt nomen naturæ; impoſitum enim eſt ad ſignificandam naturam divinam prorſus incommunicabilem. Si vero ſecundo modo conſideretur, videtur eſſe nomen operationis; nam ex operatione Dei nimirum a ſumma ejus circa omnia providentia, cognitione, conſervatione fuit impoſitum, unde ait D. Baſilius *Epiſt.* 14. *Ab eo, quod omnia excitaria, aut certe pervideat omnia, & contempletur, Deus dicitur.* Cumque divina operatio in creaturis participatione, vel miniſterio aliquatenus participari poſſit: inde Reges, qui Vicaria Dei poteſtate cæteris imperant, Dii in ſcriptura dicuntur Pſalm. 81. *Ego dixi Dii eſtis.* Moyſes, qui ad monendum verbo, & miraculis Pharaonem a Deo delegabatur, Deus vocatur *Exod. 3. verſ. 1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Denique omnes, qui aliquam divinæ celſitudinis participationem habent, ac in aliqua eminenti dignitate ſunt poſiti, vel ut juſtitiam ſuo nomine exerceant, vel aliud quidpiam excellens, Dii dicuntur *Pſ.* 81. *v.* 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum,* & Exod. 22. v. 28. *Diis non detrahes.* Hinc eſt, quod ex hac parte *Dei* nomen per quandam analogiam aliis communicari poteſt. Cæterum, quia Judicium de nominibus non debet eſſe ſecundum id, a quo impoſita ſunt, ſed ſecundum id, ad quod ſignificandum ſunt inſtituta; propterea eſt nomen Deus a divina operatione ſic impoſitum, cum Deus ſolum ex ſuis operationibus, & effectibus nobis innoteſcat; tamen quia ad ſignificandam veram, ac ſubſtantialem naturam ſummam, quæ uni vero Deo convenit, eſt inſtitutum: ideo *Deus* eſt nomen naturæ, nomen prorſus incommunicabile ſecundum veritatem, etſi ſecundum falſam opinionem pluribus a Paganis communicatum fuerit. Hiſce de Dei nomine prænotatis. Quæremus, an res ſignificata per hoc nomen Deus vere, ac de facto exiſtat, an una ſit, vel plures: deinde, quid ſit; Tandem quænam ejus attributa, ſeu quaſi proprietates ſint.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia Dei.

IN hac quæſtione hoc determinandum proponimus: an revera Deus exiſtat, ſeu an inter omnia entia realiter exiſtentia admittendum ſit aliquod ſupremum ens, a quo cætera, ut a ſuo principio dependeant, & in quod ut ad ſuum ultimum finem referantur. Etſi namque cæteræ vulgares ſcientiæ ab objecti ſui exiſtentia plerumque præſcindant, ne forte cum illa ſit contingens, & mutationi obnoxia, ſcientiæ certitudini, ac infallibilitati detrahat, & officiat: nihilominus Theologia, quæ habet Deum pro ſuo objecto, in detegenda, & ſtabilienda Dei exiſtentia abſque periculo immorari poteſt, cum enim Deus non contingenter, ſed neceſſario exiſtat, ſitque unum ex prædicatis ipſius eſſentialibus exiſtentia, non ſolum certitudini Theologiæ non obeſt agere de illius exiſtentia, ſed etiam Dei eſſentia detegi non poteſt, niſi prius ejus exiſtentia innoteſcat. Addo quod cum omnis cognitio Theologica divinam revelationem ſupponat, & in ea fundetur, quæ haberi non poteſt, niſi Deo exiſtente, merito nobis prius conſtare debet, Deum exiſtere, quam ullam certam cognitionem Theologicam aſſequi poſſimus. His ergo præſuppoſitis ſtatuitur.

DUBIUM I.

An Deus exiſtere ſit per ſe notum.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. NOt. 1. Divinam exiſtentiam, ſeu Deum exiſtere nobis viatoribus ſolum triplici via poſſe certo innoteſcere: nimirum aut per naturalem intelligentiam, ſive lumen primorum principiorum, quo nobis innoteſcunt prima principia indemonſtrabilia; aut per fidem, & divinam revelationem; aut denique per diſcurſum. Nobis enim ſolum triplex lumen affulget, quo detegere poſſimus veritatem. Nempe lumen fidei ſupra nos: naturalis intelligentia intra nos: diſcurſus qui fit a nobis, & experientia, quæ habetur ex iis, quæ ſunt circa nos. Certum ergo eſt ad Dei exiſtentiam cognoſcendam, aut dete-